SC.SUP.6.Pl.2.

43
6 F
3

Digitized by Google

43
6

Digitized by Google

DE ESSENTIA ET NATURA RERUM
POTISSIMUM
SPIRITALIUM AC SIMPLICIUM
EARUMQUE
NEXU ET ACTIONE
PRÆLUSIO

AB

EGENO EXPLORATORE

Majori Operi edendo Metaphyſico = Theologico præmiſſa.



NEAPOLI CIϽIϽCCLXXXI.
Ex Officina Antonii Longobardi

SUPERIORUM FACULTATE.

Tanta vis in Ideis conſtituitur, ut, niſi his intellectis, ſapiens nemo eſſe poſſit. Auguſt. lib. octogintatrium qq. q. 46.

Qui Philoſophi vocantur (Platonis ſectatores innuens), *ſi qua forte vera, & fidei noſtræ accommoda dixerunt, ab eis tamquam ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicanda ſunt*. Idem II. de doctr. Chriſtian. 19.

Digitized by Google

I. N. D.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

JOSEPHO M.Æ, E PRINCIPIBUS
CAPYCII = ZURLO

EPISCOPO CALENO.

EGENUS EXPLORATOR

BOnum, Præſtantiſſime Præſul, ut odorus liquor in vaſe, cum ad ſummum devenerit, quia diffuſivum ſui eſt, non valet in ſeipſo contineri, ſed ad *extra* etiam, uti ajunt, communicari aliis enititur. Bonum autem quid magis reputandum, quam ipſa Sapientia? Hæc altiſſimarum rerum cauſſarum cognitione conſtat. Altiſſima vero omnium una eſt cauſſa,

ſive potius principium: eaque ſimpliciſſima, æterna, incommutabilis, infinita, quam numquam ſatis cognoſcimus: & ut eſt vere ineffabilis, ita omnium laudum genere commendanda: deinde inter præcipua ejus effecta nihil occurrit mirabilius humana mente, qua Sancto Auguſtino teſte (*XIII. de Trinit. cap.* 8. *&* *XV.* 1.) *nihil eſt majus niſi Deus*, & Dei ipſius imago eſt ac ſimulacrum, cujus origo, & eſſentia, ſive ſubſtantia ſimplex pariter, & æterna, infinita, in ſe incommutabilis, & inviſibilis, atque ineffabilis eſt: cetera vero Mundi elementa, parteſve ab eo etiam uno, atque omnium principio, & quà exiſtunt, & quoad modum eorum coexiſtendi derivantur ac determinantur. Horum porro, quæ ſive ſcientiam, ſive ſapientiam noſtram fere omnem abſolvunt, cum, ſi non adæquatam, ſaltim, quantum limitatæ humani ingenii noſtri vires ferunt, cognitionem mihi videar me eſſe aſſe-

quu-

quutum; quis umquam contentionem meam damnet, qui cum in iis cognoſcendis ad ſummũ me adpuliſſe faſtigium, mihi blandiar: cognitiones haſce meas aliis æquis doctiſque in republica litteraria Viris manifeſtare ac participare contendo? Paucis in hac meditationum mearum Prælufione explanatis principiis, mihi perſuadeo reperiiſſe, quibus & Atheorum argumenta enervare; & Deiſtarum tela obtundere; & Spinoziſtarum, ceterorumque Materialiſtarum cavillationes evolvere; & Idealiſtarum hallucinationes detegere valeam: totum hoc quidquid eſt, in medio pono; amicis, inimicis, civibus, exteris in illud jus eſto, qui volet carpito; invitus ne legito; officii gratia ne laudato. Non enim is ſum ego, qui hominum judicia impedire poſſim. Ego mihi beatus videbor, ſi æquum monitorem inveniam. Aſt quorſum hæc? Sapientia, inquis, ſeipſa contenta eſt; ſplendet ſibi lumine ſuo; non debet ex ore vulgi

pende-

pendere. Egregie. Tu igitur in tuis latebris ac ſilentio ſapis. At quo teſte? cui bono? quam in rem? Hujuſmodi nempe ſunt avarorum pecuniæ, quæ tam deſunt, ſi adſint, quam ſi non adſint (*). Quis mihi lyram laudet, quæ ſemper taceat? quis arcum, qui numquam tendatur? Tute tibi habe mutum hoc ſive ſcientiæ, ſive ſapientiæ genus. Ego vero cum in his cogitandis ea jucunditate perfundar, animumque meum veluti exſatiari ſentiam, quod nihil efficere, niſi veritas valet, ſolis animi mei limitibus effectum hunc coerceri non ſinam; & quin cum aliis mei ſimillibus communicem, omnino ferre nequeo. Hæc cum ita ſint, Præſul ampliſſime, ne mireris, ſi in Te uno ignotus in republica litteraria homo, non certe Tibi, oculos ſuſpexi meos, cui primum hocce ſtudiorum meorum publi-

(*) Eccli. cap. 20. v. 32. & 33. cap. 41. v. 17. 18. *Sapientia abſconſa & theſaurus inviſus; quæ utilitas in utriſque? Melior eſt qui celat inſipientiam ſuam, quam homo, qui abſcondit ſapientiam ſuam.*

publicum ſpecimen dicarem: Opus equidem non mole magnum, ſed magna præludens; non eloquutionis, eruditioniſque ad ſpeciem, & pompam litterariam floribus ex inſtituto exornatum; ſed ſoliditate rerum magis, argumentorumque novitate Tibi commendandum offero. Scio equidem, Te non ex illis rerum æſtimatoribus eſſe, qui lucubrationes litterarias non pluris faciant, quam quanti moles ipſa, oculos, non ingenium adhibentibus æſtimanda videtur: qui cum frequentiſſimi ſint, in morem venit, ut magna nomina, niſi magnis voluminibus non præponantur. Ea enim es generis Tui, quam a Principibus perantiquæ Capyciorum — Zurlo progeniei duxiſti, nobilitate comparatus, ut munera non tam, quam magna, quam, quo animo Tibi offerantur, æſtimare ſoleas; eo es virtutum atque omni doctrinarum genere inſtructus, ut niſi pium ac ſolidum, non Tibi placeat; ea demum

es

es erga omnes exornatus comitate animique benevolentia, quam vultu ipſo ad humanitatem mirifice compoſito, ſignificare ſoles, ut neminem a Te diſcedere, niſi beneficiis a te collatis cumulatum patiaris. Hæc aliaque ſunt in Te ornamenta virtutis, quæ Italiam univerſam in admirationem ducere poſſint. Sed non eſt hic laudum Tuarum locus, nec multa in tantis anguſtiis dici poſſunt, nec pauca debent. Quod nunc agitur, ſave conanti: cum enim cultus atque obſervantia erga Te mea ad eam creverit magnitudinem, ut nihil poſſit eſſe ſupra; jam illud eſt reliquum, ut ejus diuturnitati conſulam, & quantum fieri per me poteſt, ad immortalitatem perducam; atque adeo ſi mihi aditus per haſce potiſſimum lucubrationes ad Tuam benevolentiam eſt patefactus; in his etiam ipſis tanti beneficii memoriam conſignem: ut omnes intelligant, nec litteris deeſſe Patronos, nec ſuis Patronis litteras deeſſe.

S.

S. L. B. S. D. P. E. E. E.

COgitaveram de Gratia Dei Creatoris ; atque Chriſti humanæ naturæ Reparatoris ; & de conciliandа ea , ac divina Præſcientia , & Prædeſtinatione cum Contingentia , & Libertate humanæ potiſſimum Naturæ : & eam comperui inter Naturæ , & Gratiæ ordinem intercedere Harmoniam , ut quamvis utriuſque Œconomia non iiſdem regatur legibus ; quæ tamen Gratiam adminiſtrat, ſine diſtincta notione ejus , quæ Naturam facit , & conſervat , vix , aut ne vix quidem intelligi queat .

Ut hominis idcirco naturam, quæ & corporea, & ſpiritali unà conſociatis ſubſiſtit ſubſtantiis, inveſtigarem, indaginem quamdam inſtitui de ſubſtantiarum, ſeu virium in univerſum natura, & differentia. Non enim quid præſtet homini virium ſupernaturalis concurſus gratiæ in ordine ad aſſequendum finem, ad quem eſt elevatus, ſupernaturalem, dimetiri recte valet, niſi prius innotuerit, quid ipſe per proprias naturales ſuas poſſit vires, atque eas vel integras, vel quomodocumque infirmatas.

Rem autem; ut ex ſuis principiis repeterem, de ipſo Deo Auctore naturæ, & gratiæ, & de actibus ejus cum ad intra, ut ajunt, tum ad extra, & de Jeſu Chriſto reparatore ejus initium deinde mihi eſſe ſumendum, cenſui. His demum acceſſit etiam, quod de Hominum officiis erga Deum unum, & Trinum, & Jeſum Chriſtum Naturæ, & Gratiæ inſtauratorem quaſdam etiam dilucidationes ultimo loco addere decreverim.

Excrevit ergo opus ſimul cum onere, & ſumtibus, adeo ut vix humeri ſufficere viderentur ipſi edendo. Quamobrem conſilium capeſſendum ſuaſere Amici, ut huic tam magno Operi Metaphyſico-Theologico in plures Tomos diſtribuendo ſpecimen iſtud principiorum, quibus illud ſuperſtruitur, publicæ luci in anteceſſum traderem, judicio Virorum doctorum examinandum, ut ſi quid in eo emendandum cenſuerint, amice mihi ſignificarent; vel ſi quidem omnia eis arriſerint, ex ipſa hujus ſpeciminis evulgatione explorarem. Et ſic tandem cum & ipſi ſymbolam ſuam tradiderint, & Documentis, & Opibus eorum magis inſtructus, operi ipſi edendo lætus, & gratus manus admoverem.

En

En tibi, ſtudioſe, & benevole Lector, quæ ſit hujuſce Præluſionis occaſio edendæ expoſita: Scopus autem, ſi vis dicam? nullus ex inſtituto. Sed Oratio hæc licet diù præconcepta; abſque themate tamen, & ſine prologo, ac ſine epilogo mihi extemplo, ſi non caſu, certe, ut cum Bacone de Verulamio dicam, philoſophico quodam Æſtu enata eſt; ac veluti ex nihilo exorta, ad maximarum rerum maxime reales notiones deducta eſt evolvendas; quæ demum ut abſoluta eſt, ut capite conſtaret, ac calce, ceteriſque membris extantioribus: excurſibus, ſic dictis, decem, & poſitionibus principalioribus triginta tribus, ac tandem epilogo diſtincta eſt, ne incomta prorſus, & deformis in publicam prodiret lucem. Quapropter ne mireris, ſi nihil in ea comperies exaſciatum, nihil penitus methodice ordinatum, niſi forte quod ipſe nexus rerum, quæ mihi occurerunt, ſecum attulit.

Eò vero univerſa collimant, ut pateat Eſſentia, & Natura rerum, & præſertim Hominis relate ad Nexum, quem Anima ejus habet cum ſuo Corpore immediate, & eo mediante, cum toto Univerſo materiali ac Spiritali, naturali, & ſupernaturali; cujus occaſione ipſe in propriis actibus ſuis naturalibus, & liberis, ſeu moralibus, ſeſe determinat, ut proprium finem, & naturalem, & ſupernaturalem, ad quem prædeſtinatus atque elevatus ex divina Providentia fuit, certo aſſequatur, quin ejus libertas in nihilo lædatur.

Hoc autem totum ex uno hoc ſimpliciſſimo, ſed veriſſimo deductum eſt principio: Quod ſcilicet, cum quælibet res exiſtens, ipſo eo exiſtentiæ ſuæ ACTU ſeſe eſſe de-

 mon-

monſtret: SUI ESSENTIÆ ALICUJUS IN COGNITIONEM VENIRE NOS FACIT; & ex tali potius quam alio determinato modo, quo in unius Univerſi nexu ſeipſam repræſentat, ab omni alia, quæ diverſo modo in eodem ſeipſam repræſentat, diverſam ac plene diſtinctam: ex PROPRIIS *hiſce* ACTIBUS *& determinatis effectibus, quos producit*, AD PROPRIÆ SUÆ NATURÆ COGNITIONEM NOS DUCIT.

Deinde principaliora capita, quæ in hac Præluſione ſummatim recenſentur, ſi vis prægustare, quædam innuam.

I.

D*Emonſtratur itaque in ea, quomodo juxta celebre illud antiquorum effatum*: ab Uno Omnia: *cum in uno ſimpliciſſimo Principio, & ab uno, omnia contineantur*; univerſa efformentur, & conſtituantur, atque conſerventur in propriis cujuſque naturis, & in ea UNIUS Univerſi, ex ſolo, & uno illius, ſeu divinæ Volontatis actu, a quo ACTUS, ſive ſenſibilis vel obſervabilis exiſtentia *entibus omnibus, in uno eo Univerſo, coordinatis datur.*

II.

Q*Uod* ejuſmodi actus *vel principium, quamvis in ſe æternus ſit, unus, ſimpliciſſimus, infinitus, inviſibilis, & non revera contingens, ſed eminenter liber*; in oppoſitione *tamen, quam, ratione limitationis ſeu finitudinis ſuæ, res omnes ab eo productæ neceſſario habere*

debent

debent cum eo infinito, *& cum* finito *aliarum rerum, quæ ſunt diverſæ, & non eadem res* : res ipſas *omnes, & ſingulas, cum a ſe, tum ab aliis* producit diſtinctas, & temporaneas, & plures, & viſibiles, & compoſitas, aut materiales, & omnes finitas, atque neceſſario limitatas.

III.

CUm eſſentiæ rerum, *quæ nihil ſunt præter earumdem ſubſtantiam in abſtracto, minime autem in concreto conſideratam*, extra Mentem Divinam haudquaquam exiſtant, *in qua ſola vera vita ſunt, & actum ſive exiſtentiam diſtinctam vel extra Deum* non obtineant, niſi quando propriam determinatam vim ſeu activitatem, & naturam in ſingulari, & individuo a Dei voluntate conſequuntur, & in ordine concreto omnium coordinatorum in Univerſo actu diſtincte eam repræſentant: *ex hoc veriſſimo principio evidenter omnino demonſtratur: quod & ſi nihil extra Deum exiſtat, quod ſit vere & abſolute ſimplex, æternum, infinitum: hoc tamen non obſtante*, Subſtantiæ ne dum ſolius Spiritus, animæque noſtræ, verum etiam & Elementorum omnium, rerum etiam *compoſitarum, vel materialium, non ſecus ac earumdem eſſentiæ* eſſe nequeunt niſi in ſe ipſæ inſpectæ & ſimplices, & æternæ, & indefinitæ, & omnis generationis, & corruptionis expertes; *quamquam & determinatæ earum naturæ, & multo magis rerum individua talia non ſint; ſed ſi ex pluribus ſimplicibus ſubſtantiis ortæ, & compoſitæ, quælibet ex*

his,

his ſua in principia rurſus reſolvi deſtruique valeat.

Et conſequenter cum compoſitorum omnium & habitus, & actiones, & opera non niſi compoſita eſſe queant; quin ſint & ea omnia contingentia, & mutabilia vel libera, fieri omnino non poteſt. *Et ejuſmodi ſunt etiam & habitus, actiones, opera, & ipſa* Hominis natura; quæ in ſingulis humanis perſonis ex HYPOSTATICA unione conſtituitur *ejus animæ cum ſuo immediate corpore, & eo mediante cum toto Univerſo*; ex qua unione aliæ derivantur *actiones cuique perſonæ propriæ, quæ* Humanæ *dicuntur, & de utraque hominis cum ſpirituali, tum corporali natura participant, cujus actiones in eſſe ſuo humano, atque individuo determinantur* ex mutuis reactionibus, *ſive potius determinatis mutuis* REPRÆSENTATIONIBUS *utriuſque naturæ in una ſola perſona, & in una ſola actione immediate, & mediate cum dicto Univerſo conjunctæ.*

Et ut quamplures alias illationes aliaque plura ſpecialia excogitata omittam, & circa diſtinctas ſubſtantiarum Spiritalium, & materialium naturas, diverſaſque earum actiones; & reſpectu hominis præſertim, moraliſque ejus operandi modi, & circa divinam Providentiam, ſpecialemque concurſum, quæ hominis eſt propria:

IIII.

EX *hiſce jam poſitis diſtinctis Animæ, & corporis notionibus, modo ſatis intelligibili*, utriuſque ſubſtantiæ unio explicatur phyſica, vel potius metaphyſica, & idealis; unde & ipſam hanc mentis ac corporis

poris ſui immediate, atque totius Mundi UNIONEM non eſſe prorſus ININTELLIGIBILEM dicendam oſtenditur.

V.

DEmum *ex iiſdem principiis*; quod nihil *ſit in rebus ſenſibilibus aut quocumque modo apparentibus* ſubſtantiale præter ſimplices earum ſubſtantias, *& ſimplicia elementa*; & nihil exiſtat prorſus inactivum, *quod ſaltim in exiſtendo ſeipſum non repræſentet*: *clare etiam oſtenditur*, quomodo concipi poſsint efformatæ, & in eſſe naturæ vel actualis exiſtentiæ poſitæ, Ideæ generum, & ſpecierum; & ipſarum rerum omnimode determinata ac ſingularia individua: & quod earum rerum, & totius Mundi adſpectabilis CREATIO pariter non ſit plane ININTELLIGIBILIS &c.

Denique ſi de hujuſce Præluſionis utilitate *ſciſciteris*; *paucis dicam*, maximam ejus in eo ſitam eſſe; *quod cum dicta omnia analytica atque ſcientifica methodo in ea pertractentur, & auctoritate etiam fere ſemper confirmentur Sacræ Scripturæ, S. Auguſtini, ejuſque diſcipuli D. Thomæ, nec non & inſigniorum Philoſophorum, Platonicorum præſertim, & Leibnitianorum, e quorum dictis multa mutuata ſunt*: Haud difficile erit alias aliorum diſcrepantes opiniones ad concordiam revocare, *aut etiam, dum opus fuerit, erroris, ex extremis oppoſitis, a quibus abhorret veritas, redarguere*: *Nempe* & Materialiſtarum, *qui nihil exiſtere arbitrantur, niſi quod fal-*

laci-

lectibus ſenſibus noſtris ſubijcitur; ***Et*** Idealiſtarum; *qui dum nullam realem actionem, quamvis ſenſibilem, in rebus naturalibus exiſtentibus agnoſcunt: hominis libertatem omnem incauti e medio tollunt. Et ex hiſce paucis, ſed invictiſſimis principiis argumenta depromi etiam poſſunt, quibus* Athei *proſtrentur, iis demonſtrando unicum, & verum rerum omnium principium non in alio poſſe inveniri extra unum, & verum Deum, neceſſario, & independenter a ceteris entibus finitis exiſtentem; &* Spinoziſtæ *deprimantur, opera actuſque Dei cum una ejus, & rerum omnium creatarum ſubſtantia turpiter confundentes; Et* Deiſtæ *tandem, qui Deum admittentes, ab eo tamen curam omnem, & divinam providentiam rerum a ſe creatarum removent.*

At hæc hactenus in anteceſſum ſatis; jam ipſam opellam, S. & B. L. volve, & revolve, ſi vis omnia, quæ in ea innuuntur, perluſtrare, & Vale.

APPROBATIONES

ECC. E REVERENDISS. SIGNORE

ANtonio Longobardo pubblico Stampatore ſupplicando eſpone all' Ecc. V. , come deſiderando di Stampare il Libro intitolato *De Eſſentia , & Natura Rerum potiſſimum Spiritalium ac Simplicium earumque Nexu & Actione Præluſio &c* : ſupplica l' Ecc. V. di rimettere il Reviſore , acciò dopo riveduto l'originale del Libro poſſa darſi licenza di darlo alle ſtampe , e l'avrà a gratia ut Deus.

Admodum Reverendus D. Andreas Simioli S. Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat, Die 1. Februarii 1781.

Joſeph Roſſi Can. Dep.

EXCELLENTISS. AC REVERENDISS. PRÆSUL

TE jubente attente perlegi opus inſcriptum: *De Eſſentia & natura rerum potiſſimum ſpiritalium ac ſimplicium earumque nexu & actione*: in eo ſubtiliſſimum Auctoris ingenium ſum demiratus, qui Wolfianam ſcribendi rationem in deliciis habens, conatur ſpeciminis loco oſtendere nexum inter veritates naturales & ſupernaturales, quo facilius increduli retundantur, qui Theologiam Philoſophiæ veluti contradicentem, ad ravim uſque inclamare non ceſſant: cumque nihil in eo offenderim, quod Fidei vel morum principia vel minimum lædat, e re publica eſſe cenſeo, ſi opus in lucem edatur, dummodo auctoritas tua acceſſerit, Datam XV. Calendas Martias an. 1781.

Humillimus atque addictiſſimus
Andreas Simioli.

Attenta Relatione Domini Reviſoris, imprimatur. Die 18. Aprilis 1781.

Joſeph Roſſi Can. Dep.

C

S.R.M.

S. R. M.

Antonio Longobardo pubblico Stampatore ſupplicando eſpone alla M. V., come deſiderando di ſtampare il Libro intitolato *De Eſſentia, & Natura rerum potiſſimum Spiritalium ac Simplicium earumque Nexu, & Actione, Præluſio &c.*, ſupplica la M. V. di rimettere il Reviſore, acciò dopo riveduto l'originale del Libro poſſa darſi licenza di darlo alle ſtampe, e l'avrà a gratia ut Deus &c.

Rev. D. Franciſcus Confortius, in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat autographum Operis, cui ſe ſubſcribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 19. Menſis Martii 1781.

MATTHÆUS JAN. ARCH. CARTH. C. M.

S. R. M.

Liber qui inſcribitur, *De eſſentia & natura rerum....* quoddam eſt majoris operis præludium, quod publicæ luci propediem tradetur. Bene providit philoſophus auctor principia, in quibus opus locabitur, eaque eleganti ordine complexus eſt. Hoc autem ipſum, quod ſibi ad manus fuit, ita perſequutus eſt, ut nuſquam in ſanctæ Majeſtatis Tuæ jura incurrat, vel ad catholicæ Religionis dogmata & præcepta offendat. Quocirca par eſſe cenſeo, ut typis illud committatur.

Majeſtatis Tuæ Numini

Devotiſs. devinctiſs. & addictiſs. cliens
Franciſcus Confortius.

Die 3.

Die 3. menſis Septembris 1781. Neapoli.

Viſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die prima currentis menſis & anni, ac relatione Reverendi D. Franciſci-Conforti, de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Reviſoris; Verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione aſſirmetur, quod concordat, ſervata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum &c.

SALOMONIUS.

AVENA.

Vidit FISCUS REG. COR.

Ill. Marchio Citus Præſes S.R.C., & per Illuſtres Aularum Præfecti tempore ſubſcriptionis impediti.

Athanaſius.

Carulli.

Reg. fol.

MONITUM.

ANtequam excogitata hæc mea typis mandarem doctis quibuſdam ſinceriſque communicare Amicis meis curavi. Non defuit, qui ſcholaſtico aſſuetus ſtylo, analyticam, quam in iis concinnandis conſtanter obſervavi methodum, qua ſine nullam ſane ſcientiam nobis comparare poſſumus, damnare non eſt veritus, generalibus rationibus, ut fieri ſolet, innixus: quod ea methodus, inquit, in mathematicis vix ferenda; in ceteris autem ſcientiis lectorum tandem animos frangat, & ſubdole pleruмque procedat: cum in longa definitionum & demonſtrationum ſerie æquivocum facile neſcio quod admittat, vel falſam propoſitionem, quæ ex antecedentibus non legitime inferatur, vel ſimilia admiſceat: quæ tamen in leviter percurrenda, ut ipſe ait, hac mea Prælusione ob capitis dolorem, quo tunc affligtabatur temporis, deprehendere non potuit. Verumtamen cum alii firmioris capitis ea, qua par eſt, diligentia iſthæc verſaverint, & non ita vage, ſed determinate ac diſtincte penſitarint; judicia eorum æquum eſt illi præferre. Quam ob rem unum aut alterum eorum teſtimonium, præfationis loco, huic Præluſioni præmittere non inutile opus cenſui.

PRIMUM ESTO

AMICI CUJUSDAM

Oratoris Celeb., Neapolitani Cleri Examinatoris, & Cam. Regal. Theologi Auctori reſcribentis.

A Me non è ignoto, che a' giorni noſtri v' ha di coloro, i quali ſapendo quanti ſiano i libri attenentiſi alla Divina Scienza della Teologia, e da quanto dotti e venerandi Maeſtri in divinità ſcritti, non conſentiranno di veder uſcito alla luce il voſtro corſo Teologico sì ben ritratto ed eſpreſſo nella dotta ſugoſiſſima Proluſione, credendolo ſoverchio, e non neceſſario, che non potrà inſegnar coſe nuove e nuovamente in tal materia, di cui par che piene ſieno le Librerie. Ma vanno in loro

ragio-

ragione errati. Niuna coſa che con pietà, e ragione ſi faccia dir ſi può o ſoverchia, o non neceſſaria; far non potendoſi che quel che è pio e ragionevole non faccia la ſoſtanza dell' uomo, ed il dovere di chi 'l fa, ſecondochè ha detto un grave antico Padre. Or ciò che è la ſoſtanza del dovere di chiccheſſia potraſſi mai riputare e ſoverchio, e non neceſſario? Oltracciò la voſtra Opera è utile e neceſſaria ſe non per altro, ſol perche a' Giovani ſtudioſi della ſottil inſieme e faconda Metafiſico-Teologia appreſta in aria novella un modello di ben teologare, ſomminiſtrando alcune regole non isforzate, ma che naturalmente cadono da certi principj, che ſono immutabili ed eterni, cui eſſi religioſamente ſeguendo nel volger di poche lune potranno maeſtrevolmente ragionarne.

Mi ſono io ſtudiato di leggere la detta Proluſione il più attentamente che ho potuto, ed apparte apparte conſiderarla: vi ho tratto un godimento per me grandiſſimo vedendone la ben formata tela, e mi ſon, per così dire, paſciuto del fine propoſtoſi di formar una Teologia, che ſia della mente, e del cuore: ed ho formato queſto giudizio: che una tale fatica frutto di meditazioni filoſofiche e teologiche ſulla Religione, e ſulla Morale Criſtiane è in tutte le ſue parti compiuta. Perciocchè ſcientificamente toglie molti nocevoli abuſi che i vecchi tempi ci hanno roverſciato addoſſo. Eſamina con geometrica evidenza le cagioni prime di tutte le coſe, non quali le può la fantaſia dipignere, o ghiribizzando aſſottigliare la troppo fina ſpecolazione; ma quali le ritrae la dritta ragione, che ragioni, e fedelmente ragioni nello ſcernere il vero dal falſo. Dimoſtra con maniera trionfale i diritti, che la Cagion prima, e l'Eſſere ſovrano ha su le ſoſtanze ſpirituali; e la riſpondenza il rapporto, che vi ha fra eſſi. Eſpone l'uomo quale il fa la natura, e la diſciplina lo modifica, ſcovrendo in lui il debole ed il forte, il buono ed il malvaggio della noſtra guaſta viziata natura, le difficoltà e gli oſtacoli alla virtù, ed il pronto rimedio a ſuperarli. Dimoſtra in fine la neceſſità che ha ciaſcuno di conoſcer ed intendere ciò che è ſovra di noi, dentro di noi, e fuori di eſſo noi per ergerſi ſenza fraude all' altiſſima idea del ſemplice e dell' uno, che è il primo ſommo Vero. E queſt'è tutta la ſapienza, che merita la prima la ſola l' unica attenzione

zione

zione di tutti coloro, i quali ſi pregiano dell' auguſto nome di Uom Criſtiano.

Quello però che più piace e ſorprende egli è, che la materia quantunque non ſia nuova, tutto nuovo però è il lavoro, non eſſendo altro che un ricco drappo ordito della ſalda, alta, e mirabil dottrina del Dottor San Tommaſo, eſempio d' angelico ſapere in terra, e ſpecchio di ſuperne menti. Vedendoſi ſempre unito alla notizia certa delle coſe dipendente da vera cognizione de' ſuoi principj il dolce di riposte notizie, e d' una modeſta critica: ed alla dolcezza della ſagra e profana erudizione l' utile della vangelica ſeverità. Opera perciò degna della lode del Lirico Poeta.

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

Eccovi eſpreſſo il mio ſentimento in liberi ſenſi, e ſemplici parole, che a voi porgo, come pegno d' un petto non luſinghiero, ma allo 'ntutto ſincero. Or quì mi direte voi, e giuſtamente direte:

Or chi ſe' tu, che vuò ſedere a ſcranna?

Vi riſpondo. Altri più vantaggioſi ſaggi ne porterete da valentuomini, *quibus arte benigna*,

Et meliore luto finxit præcordia Titan. Finalmente

Οὐκ ἐσθ' ὑγιας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

A L I U D

Celeb. Philoſophiæ ac Theolog. Profeſſoris & in R. N. Academia Scien. & Bon. Art. Mathematum Socii.

ERubeſcerent profecto ii, qui venerandum Metaphyſicæ nomen aſpernantur, ſi quanto, (ut cetera prætercam) religioni ab hoſtibus vindicandæ adjumento ea ſit, animadverterent. Nonne enim vel ipſe Theologus, ſi præſtantiſſimæ hujus diſciplinæ ope deſtituatur, arma ſibi deeſſe ſentiet, cum ad incredulos profligandos, atque ad ſilentium adigendos acceſſerit? Hinc tantum abeſt, ut faſtidioſe ii traduci debeant, quin potius maximi eorum faciendus ſit labor, qui toto ſtudio in id incumbunt, ut famulantem Theologiæ Metaphyſicam cultiori

in dies

in dies habitu exornatam, armiſque inſtructam exquiſitioribus inducant. Quæ cum ita ſint, cumque jam fere ſummum perfectionis culmen nobiliſſima hæc Philoſophiæ pars attigerit, quis non in optatis vehementer habeat Theologicum aliquod opus, cui talis jam reddita ſubſerviat Metaphyſica? Atque iſtiuſmodi ſane eſt Opus, in quo adornando allaborat, cuique per hoc aliud exiguum proludit Clariſſimus Auctor perutilia hæc ſtudia in deliciis habens. Proludit, inquam, dum per plura excurrens, pluresque firmans poſitiones, clariſſime patefacit, quam ſit diverſimode de intima rerum natura, conſtitutioneque judicandum, ac cenſet philoſophorum vulgus, qui ita, ut per ſenſus renuntiantur, ſe res habere facile putant. Hoc autem, quod Auctor in hoc ſpecimine aſſequitur, maxime valere ad irreligioſos homines confundendos, revincendoſque cuique patebit, qui ſecum animo reputet, perverſiſſimos ipſorum errores inde maximam partem enatos, quod ex ſuperficiaria quadam de rebus cognitione propere de iis, audacterque pronuntiare ſoleant. Veriſſimum enim eſt principium, quod ſcientiarum Reſtaurator Verulamius philoſophiæ ſuæ ſtatuit: Philoſophiam nempe primoribus tantum labiis deguſtatam a Deo abducere, utpote quæ cauſſas ſecundas ultra debitum magni faceret, philoſophiam autem plene hauſtam ad Deum denuo ducere. Hoc itaque Opuſculum lubenti animo percurre, ſerioque meditare, ut quantum ſit in eo pretii edoctus, Clariſſimo Auctori ſuo ſtimulo eſſe poſſis, ut Majori edendo Operi, cujus tibi ſpem facit, manum admoveat.

POSTREMUM

Cl. Viri Philoſophiæ ac S. Theologiæ olim, nunc autem S. Scripturæ Lectoris.

DE eo conqueruntur non pauci, qui Metaphyſicæ Scientiæ juxta Leibnitii Wolfiique placita jam navata opera, ad Theologicas dogmaticas non minus, quam ſcholaſticas facultates properant: quod nempe nec nominibus nec principiis iiſdem Leibnitianis res in illis pertractari comperiant, ſicque ad novam veluti Metaphyſicam addiſcendam compellantur. Optandum

dum itaque maxime foret, ut quæ ex rationis penu in Theologiam derivari poſſunt, ea ad Leibnitianæ Wolfianæque Philoſophiæ, ubique ferè gentium nunc obtinentis, dogmata (quoad fieri poteſt) redigantur, ſimulque majori luce perfundantur, & fortaſſis etiam intimius nonnulla perſcrutentur. Hoc verò eximium opus fruſtra ab aliis quæſitum adlaborare tandem ſibi in animum induxit doctiſſimus Auctor, qui ſub larvato Egeni Exploratoris nomine latet.

Sed antequam lucubrationes ſuas, quibus adhuc incumbit, publici juris faciat, præmittendas duxit ſub Proluſionis titulo non paucas ex Metaphyſica poſitiones ad ea, quæ in dicto opere docenda ac demoſtranda ſunt, viam quodammodo ſternentes. Has ego diligenter perlegens, ſubactum viri ingenium, ſolidaſque ratiocinationes, quibus non exigui momenti res tractantur, ſum admiratus: eaque me tenet opinio, illas non parvo emolumento futuras, ſi, ut oportet, ſeria conſtantique meditatione volutabuntur.

Digitized by Google

S. D. H. G.

DE ESSENTIA ET NATURA RERUM
POTISSIMUM
SPIRITALIUM AC SIMPLICIUM
EARUMQUE
NEXU ET ACTIONE

EXCURSUS I.

Ad ſubſtantiarum, ſeu virium Naturam, & differentiam inveſtigandam.

§. 1.

NIhil eſt id, cui nulla reſpondet notio. Aliquid, cui aliqua.

§. 2.

CUi nulla reſpondet notio, nihil eſt; cui aliqua, aliquid.

Digitized by Google

§. 3.

QUod nihil eſt, nullam ſui ideam exhibet, nihil repraſentat, nihil prorſus agit. Ergo è converſo: quod nullam ſui ideam exhibet, nihil repræſentat, nihil prorſus agit; Nihil eſt.

§. 4.

QUod eſt aliquid, aliquam ſui ideam exhibet, aliquid repræſentat, aliquid omnino agit. *Manifeſtum eſt enim* (S. A. D. I. p. q. xxv. a. 1. ait), *quod unumquodque ſecundum quod eſt actu* (atque adeo aliquid determinate reale), *& perfectum, ſecundum hoc eſt principium activum alicujus*.

§. 5.

SUbſtantiæ (cujus nomine ſubjectum intelligitur perdurabile, & modificabile) aliqua reſpondet notio; ergo aliquid eſt; ergo aliquam ſui ideam exhibet, aliquid repræſentat, aliquid agit.

§. 6.

EST autem actio modificatio ſtatus ſubjecti, cujus modificationis ratio in ipſo eſt ſubjecto: ratio vero ſufficiens, ac veluti ſubſtratum actionis *Vis*. Ergo cum omnis ſubſtantia aliquam ſui ideam exhibeat,

aliquid

aliquid repræſentet, aliquid agat; Vis eſt agens, vel quæ continuo conatur ſe ipſam repræſentare, & modificare, vel quæ actu ſe ipſam repræſentat, & modificat.

§. 7.

Omnis autem ſubſtantia una, in intelligibili ſaltim ſua idea, ſimplex eſt. Non enim partibilis in duas ſemiſubſtantias eſt.

§. 8.

Omnis porro ſubſtantia ſuimetipſius repræſentativa eſt (§. 5.), quæ adeo continue conatur, ſeu cum nihil ei reſiſtit, continue agit, dum exiſtit: continue ſe ipſam modificat, & repræſentat in exiſtendo.

POSITIO I.

§. 9.

Omnis igitur ſubſtantia ſimplex eſt ſuimetipſius repræſentativa, & modificativa in exiſtendo, ſeu dum exiſtit, continue conatur ſe ipſam repræſentare, & modificare, ſaltim eminenter.

§. 10.

Aggregatum plurium ſubſtantiarum ſimplicium ſimul unitarum, ſeu ſimul in uno connexarum dicitur *compoſitum*.

D 2 §. 11.

Digitized by Google

§. 11.

QUod ſi ſimplicia ita cum aliis connectantur, ut ſimul *in uno cohæreant* ad unum quid actuandum, & repræſentandum, *compoſitum dicitur materiale, ſeu corpus*; & quidem phyſicum, ſi individuum ſeu tale omnimode fuerit determinatum.

§. 12.

SIn vero unum ſimplex cum alio ita connectatur, ut ordinem ſaltim dicat cum eo coexiſtendi, itaut unum inde ſubſiſtens, tertium ex duobus coordinatis repræſentetur: ens illud dicitur *ſimplex dependens* in ſua exiſtentia a coexiſtentia alterius, iſtud autem *compoſitum metaphyſicum*, ſi ſimul cum eo alio ſpectetur.

§. 13.

VIs una ſuimetipſius *per ſe* repræſentativa, & ideo ſui etiam modificativa (§. 8.) *ſubſtantia eſt ſimplex*, ut eſt a compoſita contradiſtincta, quæ in compoſito nonniſi mediantibus ſimplicibus, quibuscum componitur, ſeſe repræſentat (§. 10.).

§. 14.

VIs ſimplex ab alio exiſtens, & dependenter, ſeu cum ordine ad aliud, vel alia, per quæ deter-

determinatur, ſeu limitatur, & modificatur ejus repræſentabilitas, ut hoc ſit, non aliud ſeipſum repræſentans, *Elementum eſt*, ſeu *ens* hujus Mundi creatum, vel pars hujus compoſiti Univerſi.

§ 15.

ELementum Mundi ejuſmodi, vel tantummodo vim habet repræſentativam, & modificativam ſui: *& Elementum proprie dicitur Mundi materiale*.

§. 16.

VEl vim inſuper habet ſuimetipſius *ſibi* repræſentativam, ſeu *ſuimetipſius intuitivam*: & *Elementum*, ſeu proprie *Ens*, ſive Pars Mundi eſt *Spirituale*, i. e. *Spiritus*.

POSITIO II.

§. 17.

ERgo cum quodlibet Mundi Elementum ſit repræſentativum ſui (§. 15.), & nihil determinate repræſentet, adeoque nec exiſtat, niſi dependenter, ſeu cum ordine ad aliud, vel alia, quibuſcum connectitur (§. 11.); a quibus, & limitatur, ut individuum ſit tale, & omnimode determinatum (§. 14.): repræſentationem aliorum Elementorum percipit, ſeu in ſe recipit, &, ut ita dicam, ſentit; i. e. tantum agit ſemet repræſentando, quantum patitur repræſentationes aliorum, ſeu limitationes ac modificationes ab aliis in ſe recipiendo: ergo *quodlibet Elementum*

rum perceptivum , ſeu *ſenſitivum eſt* : hoc eſt , facultatem , ſeu vim paſſivam habet aliorum Elementorum repræſentationes , modificationeſque in ſe recipiendi, ſeu alia extra ſe ſentiendi (*a*) .

PO-

(a) *Hinc Oſtrea* , *Herba* , *quæ dicitur ſenſitiva* , *ad contactum manus humanæ ſeſe reſtringunt* . *Cucumis autem ſeſe ad appoſitam aquam exporrigit* , *& in longum creſcit* , *avertitur autem ab appoſito oleo* , *& in rugas torquetur: quod non fieret, niſi illam actionum diverſitatem perciperet* . *Ut optime advertit Georgius Rieſchelius* in contemplat. metaphyſ.„ *Non quaſi Cucumis* , *ipſe inquit* , *expreſ-*
„ *ſam illorum motuum* , *vi imaginante* , *hauriat imaginem* ,
„ *ut in Animalibus fit* : *ſed quia ne concipere quidem poſſu-*
„ *mus* , *quomodo aliquid actionem ut convenientem ſibi ad-*
„ *mittat*, *& aliam ut alienam reſpuat* , *niſi vim earum*
„ *diſcretricem naturalem habeat* . *Diſcernere autem percipere*
„ *eſt* . *Interim illa perceptio diligentiſſime a ſenſu Animalis*
„ *diſtinguenda* , *ne vox in erroris præcipitium deducat* .
D. Thomas 1. *p. ſupracitata q.XXV.a* 1. *quærens utrum in Deo ſit potentia* , *ſic in corp. reſp. quod duplex eſt potentia* , *ſcilicet paſſiva* , *quæ nullo modo eſt in Deo* , *& activa* , *quam oportet in Deo ſumme ponere* , *& ejus rei hanc rationem affert* „ *Manifeſtum eſt enim*, *inquit* ,
„ *quod unumquodque ſecundum quod eſt* actu , *& perfe-*
„ *ctum* , *ſecundum hoc eſt* principium activum *alicujus*.
„ *Patitur autem* (ſeu limitatur) *unumquodque* , *ſecun-*
„ *dum quod. eſt* deficiens , *& imperfectum* . *Vide ad-*
„ *notationem g. ad* §. 70.

POSITIO III.

§. 18.

VIs porro *ſuimetipſius intuitiva ſubſtantia eſt ſimplex Spiritalis*, ut eſt a materiali contradiſtincta:

§. 19.

A *Se exiſtens* & omnino ab alio independenter (h. e. abſoluta, ſeu infinita) DEUS eſt.

§. 20.

VIs ſuimetipſius intuitiva ab *alio exiſtens*, *& dependenter*, *ſeu cum ordine ad aliud*, a quo ea & limitatur, & modificatur, ut individua ſit, & omnimode in ſe determinata (§. 17.): *ſubſtantia Spiritalis eſt creata*, aut ſaltim derivata, reſpectiva ac limitatá; ceu *Spiritus* creatus, v. g. *Angelus*, *Anima humana*, &c.

EXCURSUS II.

Ad ſtatuendam exiſtentiam Animæ, & Corporis noſtri, & Mundi adſpectabilis, ſive realis, ſive idealis.

§. 21.

NE in incertum ſemper vagemur, poſtulo in anteceſſum, ut mihi concedatur exiſtere Animam

Digitized by Google

mam noſtram; quippe quæ ſui, & ceterarum rerum, quibus Mundus adſpectabilis conſtat, extra ſe exiſtentium conſcia eſt: exiſtere & ipſum adſpectabilem Mundum, ſive realiter extra eam, cum ſuis elementis (§. 14.), & corporibus (§. 11.) etiam noſtris, quorum ipſe Mundus adſpectabilis eſt congeries (§. 15. 16.); ſive ſaltim idealiter in ea, quatenus ſic ipſum Mundum cum ſuis elementis, & corporibus ſimul in uno connexis Mens noſtra ſibi extra ſe repræſentat. Si neges, ſic jam demonſtro.

Quod agit, aut quidquam patitur, ens eſt aliquod (§. 4.), ſive ſubjectum actionis, aut paſſionis ejuſmodi (§. 5.) quod agere poteſt, aut pati (§. 6.), & conſequenter exiſtit (§. 8.): Jam vero cum tu tui, & ceterarum rerum corporearum, quibus Mundus adſpectabilis conſtat, conſcius ſis; te ipſum, & Mundum adſpectabilem tibi repræſentando, agis; aut ſi quidem ab alio tibi idealiter repræſentatur, pateris; & Mundus ipſe cum omnibus ſuis elementis, & Animabus ſpeciem ſui tibi exhibens (§. 4.), agit, aut a te tibi, vel ab alio repræſentatus, ſaltim ut eſt idealis, idealiter patitur (§. 17.). Si dubitas te iſtorum eſſe conſcium, agis; Si Mundus ſui tibi ſpecimen non immediate exhibet, ſed vel tu ipſe, vel aliud ens Mundum idealiter in te repræſentat, agis tu, vel pateris, & ens iſtud Mundum adſpectabilem repræſentans agit in te. Quocumque igitur te vertas, cum tu tui, & cæterarum rerum extra te, vel in te repræſentatarum, quibus Mundus adſpectabilis

con-

conſtat, conſcius ſis; exiſtis tu, & Mundus ipſe adſpectabilis, ſive realiter extra te, ſive idealiter in te exiſtit. Concedas ergo quod poſtulavi, velis, nolis oportet.

Nimirum exiſtentiam ipſam nullius rei experimur immediate, experimur rerum actiones, & paſſiones. Quod in me nec agit, nec a me patitur, illius exiſtentiam realem ego per obſervationem neſcio: quomodo enim experiri queam? Si quando igitur entis ejuſmodi in me agentis exiſtentiam realem detegere velim, ratiociniis id ſolis fieri debet, non obſervatione, & experimentis tantum.

EXCURSUS III.

Ad evolvendas nominales definitiones rerum.

§. 22.

VIs ab alio exiſtens ſuimetipſius repræſentativa, & modificativa (§. 13.), & quæ alia, quæ independenter ab ea ſunt, actu in ſe modificat, & repræſentat (§. 17.), & per quæ ipſa modificatur, ſive determinatur (§. eod.), unde & ſe ipſam ſibi diſtinctè repræſentat, ſive intuetur; *anima eſt organico animali corpori unita*, quæ anima dicitur *rationalis ſeu homo*.

§. 23.

VIs ab alio exiſtens ſuimetipſius repræſentativa, & modificativa, nec non & aliorum extra ſe

(§. 17.), a quibus & ipſa modificatur, ſeu omnimode determinatur, non tamen ſe ipſam *ſibi* repræſentat, aut repræſentare valet, *vis* eſt *activa*; quæ modificatio, cum in ſolo fere motu ſeſe manifeſtet, vis *motrix* dicitur.

§. 24.

Vis ab alio exiſtens, quæ ab aliis extra eam modificari potens, *non tamen quidquam per ſe ipſam modificare valet*, *Inertia* dicitur, aut *reſiſtentia*, quæ *ineſſe videtur* materiæ.

§. 25.

Materia vero dicitur *ſubjectum* vis motricis, ſi quod eſſet, quatenus iners ipſum concipitur, & reſiſtens vi eidem cuicumque activæ, aut motrici; unde & apparet unniformiter *impenetrabile*, atque *extenſum*.

§. 26.

Determinata vero quæque materiæ hujuſmodi inertis, impenetrabilis, atque extenſæ pars, dicitur *corpus*, *ſeu compoſitum in genere*, aut in idea intelligibili, atque abſtracta, quæ a pluribus a ſe invicem diſtinctis, atque ſimplicibus emergit (§. 10.)

§. 27.

Determinatus numerus determinatarum partium, ſeu ſimplicium, quatenus ſimul determinato

modo

modo in uno exiſtit, & ſeipſum repræſentat, *corpus* dicitur *phyſicum*, ſeu reale, & quale revera exiſtit. (§. 11.)

Pro diverſo autem modo, quo determinatæ partes, ſive ſimplices, ſive compoſitæ, potius tales, quam aliæ ſimul coexiſtunt, & coagunt ad unum aliquod actuandum, & repræſentandum, Corpus phyſicum *ſimplex*, ſeu elementare dicitur, aut *mixtum*, aut *organicum*, aut organico-mixtum.

§. 28.

ET ſi pro ipſa diverſa ſtructura, & qualitatibus partium mixtarum, aut organicarum motu inteſtino, aut locali ſe ipſum, & contigua, aut etiam remotiora extra ſe modificare valet, & modificari (§. 17.) ab ipſis, *corpus* dicitur *phyſicum*, *vegetabile*, aut *animale*.

§. 29.

C*Orpus mixtum* pro diverſitate miſcibilium, ſeu partium mixtarum eſſentialiter, ac phyſice tale potius, quam aliud, ut motu inteſtino partium ſeipſum movere, aut moveri, vel ipſum totum, ſeu motu locali poſſit; corpus dicitur *grave*, *electricum*, vel *elaſticum* &c.

§. 30.

COrpus mixtum, atque organicum pro qualitatibus partium fluidarum, aut ſolidarum, ſeu or-

 gani-

Digitized by Google

ganicarum motu inteſtino tantummodo gaudens, quo & ſeipſum, & ſibi adhærentia contigua modificare, aut movere poteſt, & modificari, aut moveri ab ipſis; & illa ſibi acquirere, aut ea, quibus conſtat, amittere, ſeu auctionis, aut diminutionis, vi propriæ ſtructuræ, & mixtionis partium eſt capax; *Corpus* dicitur *vivum vegetabile*.

§. 31.

CORpus mixtum, atque organicum tale vegetabile, quod præterea pro qualitatibus miſcibilium, aut organicarum partium, & motu gaudet inteſtino partium, & locali totius, quo non ſolum ſe ipſum, ſibique adhærentia, ſed etiam remotiora, & mediate contigua modificare, aut movere poteſt, & modificari aut moveri ab ipſis, & hæc quoque ſibi acquirere, aut amittere valet; corpus dicitur *ſenſitivum*, ſeu *animale*, & quatenus in eo ea eſt vis motrix aliorum extra ſe, & tum immediate, tum mediate contiguorum modificativa, a quibus & ipſa modificari valet; tale corpus dicitur *animal ſenſitivum*; vel abſolute *animal*, aut *brutum*.

§. 32.

UBi nulla eſt activa vis, neque ſuimetipſius repræſentativa, neque motrix, aut quocumque alio modo ſuipſius, aut aliorum extra ſe modificativa, ſed

ſed quæ tantummodo concipitur, veluti ſubjectum indefinite, atque uniformiter extenſum, & ſimul exiſtens (§. 25.), per haſce vires modificabile, atque adeo non tamquam purum nihil (§. 1.); ibi dicitur eſſe *imaginabile ſpatium*, non purum nihil, neque corpus, ſed id, in quo corpora collocata concipiuntur.

§. 33.

CUjus, cum partes imaginamur, dicimus eſſe *Locum*.

§. 34.

QUod ſi illius ſubjecti indefinite, atque uniformiter extenſi partes imaginamur continuo fluxu ſibi eſſe ſucceſſivas: *Tempus* dicitur eſſe.

§. 35.

CUjus pars aliqua dicitur *præſens* tempus, alia *præteritum*, aliaque *futurum*.

EXCURSUS IV.

Ad indagandam realem Animæ notionem commercii cum Corpore

§. 36.

ANima igitur, quia (§. 22.) vis eſt ſuimetipſius ſibi repræſentativa, per eſſentiam, ſi quam realem

realem atque vere exiſtentem obtinet, nunquam ceſſat ſemetipſam (§. 4.), qualis ipſa eſt, ſibi repræſentare, ſeu intueri, ac intelligere; quo ipſo continuo ſeipſam modificat (§. 6.), quia nunc ſeipſam intuetur, jam antea ſeipſam intuebatur, & poſtea intuebitur: quæ, ſi nihil præter eam vim eſſet, *triplex eſt ſimpliciſſima, & prima ejus vis modificatio, nihil diſtincti in ſe involvens*: a qua Mens dicitur ab antiquo verbo *meno*, quaſi *Meminens*, vel a græco μνῆμη memoria. Quia vero anima vis eſt (§. 20.) ab alio exiſtens, undique determinata eſt, ac limitata ejus eſſentia; quia (ibi.) repræſentativa ſui ſibi eſt, ſibi repræſentat eſſentiales ſuas determinatas, ac conſtitutivas perfectiones, quod propterea ſubjectum non idem ſit cum iis, quæ eidem ab extra adveniunt; quia (ibi) modificativa ſui eſt, poteſt *ipſa immota* ſimul cum aliis, quæ eidem adveniunt coexiſtere, & quidem vel ſucceſſive, ſi dum ipſa immota perſiſtit, cætera ſe invicem excipiunt, ac ſuccedunt; vel ſimul ſi alia, quæ ipſa non ſunt ea vis, neque per eam ſunt vim, tantisper eidem ſint præſentia, ac veluti conſiſtant; quia modificare & ipſa (§. 22.) poteſt, quæ independenter ab ea ſunt, quæque adeo extra eam ſunt, aut eſſe poſſunt, hoc eſt entia realia, aut tantummodo idealia, ſeu repræſentabilia, & intelligibilia (§. 21.), cum iis connecti poteſt; & quia denique modificari (§. 22.) ipſa quoque ab iis poteſt, rurſus cum iis poteſt connecti. Et ſi quidem actu cum iis connectatur, ut modificet ea ipſa, & modificetur

ficetur ipſa ab iis: hæc ſunt non minus ac ipſa realia quibuſcum connectitur, & unitur; & tunc (§.21.) actu mutuo in ſe invicem agunt, & reagunt, ſe invicem modificando, determinando, ac limitando; *in quo Animæ, & Corporis, aut Mundi commercium eſſe dicitur.*

EXCURSUS V.

Ad inveſtigandum quæ ſint primæ animæ notiones, & qui inde derivari queant, ceteræ etiam rerum ſingularium.

§. 37.

DUm Anima (ut ſupponitur, jam actu exiſtens) ſe ipſam intuetur, pro triplici differentia temporis, qua intelligit ſe jam eamdem eſſe, ac antea fuit, atque erit (§. præc.), memoriam, ſeu *notionem peremum ſui habet*, atque rei vere exiſtentis (§.21.) ad cujus notionis Archetypon, ideam ſibi efformat univerſalem, ſeu *intelligibilem notionem veritatis* in genere, atque immutabilem, & in ſe permanentem.

Unde colligere eſt, quod *Anima verum eſt realiter exiſtens per participationem ſummi veri a ſe exiſtentis: ſeu ſubjectum a Deo creatum* juxta formam, quæ eſt idea exemplaris ejus, quod eſt in eſſentia Dei contentum; quod nempe ex iis conſtat, quæ *prima a Deo poſſibilia concipiuntur, ſeu ſibi invicem non repugnant*

gnant

gnant, per ſe tamen invicem non determinantur, ſed ex quibus ea omnia determinari poſſunt, quæ ut in eo ſint, ipſe Deus vult.

§. 38.

QUia ſe ipſam intuetur rem undique determinatam, atque limitatam, quæ extra ſe non excurrit, ſeu *non alia eſt res extra eam*, atque adeo a quacumque alia re, quæ ipſa non eſt, diſtincta; *ſe ipſam repræſentat rem individuam, atque unam*, ad cujus exemplar ideam ſibi efformat unius, ſeu intelligibilem notionem *Unitatis*, ſeu *individui* in genere, quæ rurſus in ipſa perdurat.

Unde liquet, quod *Anima individuum eſt*, ſeu *ſubjectum tale* undique determinatum, ac limitatum ad eam eſſentiam, & naturam habendam, quam Deus voluit pro fine, quem ipſe ſpectavit.

§. 39.

QUia denique ſe intuetur non purum nihil, ſed rem aliquam quibuſdam determinatis realitatibus, ſeu perfectionibus, facultatibus, & attributis conſtantem, quibus detractis jam ipſa eſſe nequit; *ſe ipſam ſibi repræſentat rem, eſſentiam aliquam*, ſeu rem aliquam *bonam*, cujus perfectio nullo ex iis, quibus eſſentialiter conſtat, ſpoliari poteſt. Et ad talem normam ideam ſibi efformat traſcendentalis *bonitatis*, aut intelligibilem notionem *Perfectionis* in gene-

genere, quæ in ſe jugiter reſidet.

Unde apparet, quod *Anima eſt bonum aliquod creatum, & participatum a ſummo Bono per talem eſſentiam ad extra conſtitutum*, ſeu realiter, & actu per ſe a Deo diſtinctum, ſubſiſtens, qualem Deus ipſe voluit ad ea obeunda munia, qualia eidem conſtituit. *Et hoc determinatum bonum proprie eſt id, in quo ſubſtantia, ſeu natura Animæ conſiſtit*.

§. 40.

QUia porro Anima modificativa ſui eſt, dum ſe ipſam immotam intelligit (§.36.), ſeu repræſentat eſſentialiter immutabilem, & ſimul cum aliis coexiſtentem, quæ interim in ſe mutantur ſaltim ſucceſſive, quibuſcum ipſa ſimul prius, & poſtea ſucceſſive coexiſtit (§. præc.); *ſe ipſam intelligit, ſeu videt ab hiſce mutabilibus ſucceſſivis, aut coexiſtentibus eſſe diſtinctam, & extra ſe ea eſſe*, quæ eadem non ſunt cum ipſa (§. 38.); itemque notionem intelligibilem, atque adeo realem (§. 4.) ſibi efformat tum ſpatii (§. 32.), tum temporis (§.34.), ſeu *ordinis ſimultaneorum, & ſucceſſivorum, quatenus ſimul coexiſtunt, vel ſibi invicem continuo nexu ſuccedunt* ſecundum prius, & poſterius, tamquam rei independenter ab ipſa, atque adeo extra ipſam exiſtentis.

§. 41.

A*Nima igitur quia limitatam, atque a coexiſtentibus aliis, aut ſucceſſivis limitatis entibus diſtinctam*

F

eſſen-

eſſentiam habet; ideam habet diſtinctà aliorum extra ſe, tum etiam ſpatii, ac temporis a ſe non dependentium, & tamquam a ſe diſtinctorum. Nonniſi enim qua eſſentiam habet taliter modificatam, ſive determinatam atque limitatam; cum iis a ſe diſtinctis, ſeu extra ſe independenter exiſtentibus (§. 38.) connecti poteſt, quatenus vel modificare ea ipſa poteſt, vel ipſa ab iis modificari, cum ſunt eidem præſentia, ſeu ſimul coexiſtentia; & ſi quidem revera ab iis modificatur, ipſa in ſe agere videt, quæ nequeunt non eſſe realia, ſicut ipſa in illa agens vere eſt realis (§. 21.): ideam itaque inde intelligibilem ſibi efformat *ejus, quod extra ſe, & præter ſe reale eſt*, & pro diverſitate modi, quo ipſa ab illis, vel illa ab ea modificantur, determinantur, atque limitantur, diverſa ipſa intuetur illa inter ſe eſſe, *ut ſint vel unum, vel plura, & unum quidem potius tale, quam aliud, ſeu talem potius habens eſſentiam, quam aliam, & ſibi vel immediate, vel mediate, vel remote præſens &c.*

EXCURSUS VI.

Ad dignoſcendum quomodo Anima corpus ſuum cognoſcat, & cetera extra ipſam materialia.

§. 42.

QUare cum illud, quod *immediate*, & taliter potius, quam aliter Animam noſtram continuo mo-

modificat, ſeu vim ſuimetipſius repræſentativam, quæ vere & realiter in nobis eſt (§. 21.), non minus ac ipſum reale (§. 4.), quod ab Anima modificatur, *Corpus noſtrum dicatur*; ex hujuſmodi mutuis modificationibus ineſt Animæ notio intelligibilis exiſtentiæ ſui Corporis, atque connexionis (§. 36.) ſeu *unionis* ejus cum illo.

§. 43.

ATqui revera a poſteriori conſtat, dari hujuſmodi mutuam Animæ, & Corporis humani immediatam modicationem, ſive actionem per demonſtrata §. 21. ergo &c.

§. 44.

FIt autem ea mutua modificatio Animæ, & Corporis organici humani mediantibus quibuſdam corporis iſtiuſmodi partibus determinatis, & a ſe diſtinctis, veluti iſtrumentis, quæ *ſenſus* dicuntur, vel *organa ſenſoria*, membra taliter diſpoſita, vel fluida, ut ſanguis, & ſuccus nerveus &c. quibus motus talis in corpore, aut in ejus aliqua determinata parte excitatur (§. 17.), cui ſemper in Anima reſpondet idea aliqua, ſeu perceptio ejus, quod foris ab ea fit (§.40.); unde accidit ei nova modificatio, ſeu determinatio a materiali rerum in Mundo adſpectabili idea (§. 41.), & quidem ſemper in continuo fluxu mutabili, & a pluribus, quibus res quælibet mate-

rialis componitur (§. 11.), ſimul confuſe excitatur. Ex quo *nullum verum* Anima *diſtincte* apperciperet, aut *bonum*, ac veluti non excuſſa, ac diſtincte modificata, veluti immota in ſua eſſentia in ſe maneret, non aliter ac ſi mutationes illæ in ſolo corpore fierent, cum quo non uniretur: ut dum in ſomno profundo eſt, in deliquio, in phræneſi, in ebrietate, in infantia, vel ſimili cerebri perturbatione, vel ad alia diſtractione, vel in profunda alicujus rei reflexione.

EXCURSUS VII.

Ad pervidendum, quænam ſit propria in his modificationibus Animæ ſpiritalis actio.

§. 45.

Dum autem ad ea, quæ forinſecus accidunt, attendit Anima, quod tunc plerumque fit, cum in uno ſolo ſenſu, vel determinata parte ejus Corporis modificatio illa, non uniformiter in toto ſuo Corpore excitatur; tunc demum dicitur, ipſam *animum advertere*, & tunc, *cum ſpiritales facultates ſuas attendendi, & reflectendi ad ea adhibet, diſtincte ea appercipit*, & cum intelligibili, ſed indeterminata, ſeu ab omni concreto abſoluta, & univerſali, ſeu vaga, quam ſemper habet, ſui idea, vel cum iis, quæ inde eſſentialiter eidem inſunt, veritatis, unitatis, mul-

multitudinis, diverſitatis, bonitatis, perfectionis, æqualitatis, vel inæqualitatis in genere &c. (§.37 & ſeqq.) confert.

Enimvero non Animæ dumtaxat, ſed cujuſcumque etiam *vis* ſuimetipſius repræſentativæ limitatæ, quæ nonniſi omnimode determinata, ſeu limitata exiſtit, *actio ulla eſſe poteſt manifeſta*, ac perceptibilis, ut in materia motus (§.23.), in ſimplicibus vero (§.17.) perceptio; niſi *determinatum exiſtat objectum*, in quod tendat, & determinatus pariter *conatus* ſit *gradus*, quo vis in illud tendat objectum. Quæ *duæ virium determinationes*, ſeu limitationes ab actionibus, ſeu reactionibus, & repræſentationibus coexiſtentium, & coordinatarum virium, ſeu objectorum *unicuique exiſtentium virium forinſecus adveniunt*: & in motu, qui in pure materialibus, ſeu inanimatis ſe manifeſtat, *directio*, *&* *celeritas* dicuntur; in animatis vero *attentionis*, *&* *reflexionis*; *intentionis*, *&* *intenſionis*; vel uno verbo *animadverſionis*, vel apperceptionis nomine veniunt.

POSITIO IIII.

§. 46.

Eſt in Anima idea intuitiva ſui, & Mundi intelligibilis, ſed confuſa, quæ tunc demum fit diſtincta, cum ea ope ſenſuum, ex indeterminata fit determinata; & ſingularia, ſeu individua omnimode determinata tantummodo exiſtentia repræſentans. Eſt

Eſt igitur in Anima *Mundus intelligibilis*, atque per eam vim ſuimetipſius ſibi repræſentativam, qua (§. 20.) eſſentialiter conſtat, ſpecies rerum omnium, quæ in Mundo adſpectabili ſunt, ſeu *intellectivas ideas*, notioneſque earum ab omni materia, & individuationis gradibus, ſeu, ut dicitur, ab omni concreto abſtractas ſibi efformat (§. 37, & ſeq.). Unde enim ex ſenſibus, quid ſit verum noverit, quid unum, quid bonum, aut perfectum? quid pulchrum, juſtum, honeſtum? imo & in materialibus quid ſit majus, quid minus, quid æquale? cum aliquid, dum eſt majus uno, minus eſt altero, & alteri æquale; quid ſit cauſa, quid effectus, quid finis, quid medium &c.? Cum hæc pro ratione materiæ, qua ſubſiſtunt, in continuo ſint fluxu, & pro ratione vis, qua continuo in ſenſus, & in ſe mutuo agunt, & reagunt, nullam *certam* habeant *neceſſariam*, atque *immutabilem veritatem*, aut *bonitatem*?

Eorum enim, quæ non ſubſiſtunt, ſeu non exiſtunt, niſi in materia, ut ſenſationes omnes, & affectiones Corporis, & cetera materialis Mundi adſpectabilis *Phænomena*, nulla eſſe poteſt determinata veritas, aut determinata bonitas. Unde dicitur, *contingentium nullam eſſe determinatam veritatem*.

Per eſſentiam ergo Anima ſcientiam habet veritatis, atque bonitatis eorum, quæ extra eam ſunt (N.B.) *intelligibilia*: nempe corporis, ac Mundi, quatenus *eſſe debent*.

Anima enim nullo etiam exiſtente reali Mundo, & præ-

& præciſe a corpore humano ſuam habet eſſentiam, imo & exiſtentiam, quæ & ſubſiſtere, ſeu exiſtere per ſe poteſt; dum adhuc, deſtructo corpore, aut deformato, ſuperſtes manet. Independenter ergo a materiali, & extra eam exiſtente Mundo, ac ſuo corpore ſe ipſam repræſentat qualis reipſa eſt; *ſed confuſe tamen, ſeu indeterminate in genere bonitatis, veritatis, & unitatis tranſcendentalis, cum nihil adhuc noverit extra ſe, a quo poſſit ſe ipſam diſtinguere*, atque determinate cognoſcere (§. 37., & ſeq.): Unde & ſuo corpori unita quamlibet mutationem, quæ in eo fit, cui naturaliter, & immediate adnexa eſt (§. 42.), quæque adeo (§. 41.) immutabili, ac taliter determinatæ ſuæ eſſentiæ advenit; in ſe ipſa, ſeu in immutabili idea ſui, ſeu perfectionis ſuæ percipit, ac veluti intuetur, ac ſentit (§. 17.): Et ſic & ea, & ſe ipſam appercipit, ſive diſtincte ſibi repræſentat (§. 44., & 45.).

Quare cum inde ideam quoque habeat *alius rei*, quæ ipſa non eſt, & realiter extra ipſam exiſtit; ex immutationibus, quæ in ſuo corpore, affectibus ſcilicet, aut ſenſationibus in eo excitatis, fiunt, & vi mutui nexus eidem repræſentantur, *veluti ex ſomno expergefacta, & a ſua quiete excitata* (§. 45.) *advertit, rem quoque illam, cujus jam intelligibilem habebat ideam, ab extra eſſe, ſeu realiter, actuque eſſe, non idealiter tantum*.

Quæ porro dum ad ea ipſa attendit, ac reflectit, diſtincte percipit, atque appercipit: & cum intelli-

gibi-

gibilibus iis indeterminatis, ſeu ab omni concreto abſolutis, & univerſalibus ideis ſibi eſſentialibus confert: nominibus quibusdam ad extra quoque inſtruit, ac ſignificat, aut exprimit: *& relationem, quam ad ſe habent pro veritate, aut falſitate, pro bonitate, aut malitia*, quam in ſe limitate continent, (quod *intereſſe* ejus proprium non inepte vulgo dicitur), *in ipſis intuetur*: ut eisdem aſſentiatur, aut diſſentiat; ipſa proſequatur, aut averſetur.

Anima ergo vi unionis, cum corpore immediate, & mediate cum adſpectabili reali Mundo, nulla adhibita ſpeciali attentione, aut reflexione corpus ipſum ſuum, & adſpectabilem Mundum ſibi confuſe repræſentat; ſeu tantummodo cognoſcit reale aliquid eſſe extra ſe exiſtens (§.43., & 44.).

Et nonniſi ex ſpiritali, eidemque eſſentiali actu attentionis, aut reflexionis ad ingenitas ſuas intellectuales ideas, quæ realiter extra eam ſunt, actu diſtincte percipit, aut appercipit: & niſi ita diſtincte apperceperit, neque aſſentiretur, aut contra, neque appeteret quidquam, aut averſaretur (§. 45.).

POSITIO V.

§. 47.

NOn dependet Corpus ab Anima, nec Anima a Corpore in iis, quæ ad propriam cujuſque eſſentiam, & perfectionem conſervandam, vel augendam faciunt: Sed in

in iis tantummodo, quæ pertinent ad hominis ſpeciem, *ſeu naturam, ex univerſali lege ab ipſo ejus Auctore ſancita.*

Cum Mundus adſpectabilis, aut (quod idem ſemper dictum intelligatur) Corpus Animæ humanæ independenter ab ipſa ſit (§. 13.), & independenter ab ipſa, quatenus tale eſt corpus, agat (§. 11., & 31.), independenter ab ipſa cum ea connectatur (§. præced.): *independenter* quoque ab ipſa Anima tales potius, quam aliæ *ſenſationes*, *& tales affectus* (qui non aliud ſunt, quam extraordinariæ quædam ſenſationes) *in ſuo Corpore fiunt*, quæ quatenus tales, confuſas ſui ideas, independenter ab Anima, in ea ipſa Anima excitant (§. 44.). Neque enim per vim Animæ fieri poteſt, ut præſentibus talibus objectis, & ſenſibus rite diſpoſitis, non eæ ſint perceptiones in Anima, quæ per eſſentiam talis Corporis (§. 31.), quæ ab Anima non dependet, neceſſatio fieri debent: non ſecus ac fit in iis aliis Corporis functionibus, quæ ad eſſentiam, & propriam perfectionem Corporis organici pertinent, ſicut eſt reſpiratio, digeſtio, circulatio ſanguinis &c. quæ independenter ab Anima, in ipſo ejus Corpore fiunt.

Mundus etenim adſpectabilis, Corpus Animæ humanæ, ac cetera corpora, ut ſunt ſenſus, ſanguis, membra &c. determinatam in ſe habent eſſentiam, ac perfectionem independenter ab Anima (§. 28. & ſeq.), determinatam vim, & actionem (§. 11.), quæ conſiſtit in conſervatione ſui per nutritionem, au-

 ctio-

ſtionem &c. (§§. cit.). Per hanc vim ideæ excitantur in Anima, ea etiam non attendente, & invita (§. 42. & ſeq.).

Porro in his actionibus, quæ ad conſervandam, vel augendam tantummodo corporis mechanicam perfectionem pertinent, ex lege naturæ ab ejus Auctore ſancita, nullum jus habet Anima: ſicut & nullum tale jus habet in ceteris corporibus, ut vi gravitatis, v. g. ad centrum, vel vi adhæſionis ad ſe ipſa, non augeantur: quæ vero quocumque modo *pro ratione veritatis*, *aut bonitatis*, quam in ſe continent, determinate talem, ſeu individuam, ad perfectionem quoque Animæ ſpiritalis, & ad conſervandam unionem cum corpore, ejuſque perfectionem augendam, vel multiplicandam, vel minuendam conferunt, aut conferre poſſunt, cujuſmodi ſunt ſpiritalis cognitio veritatis, vel aſſecutio bonitatis objecti ſenſibilis, frænatio inordinatorum affectuum in corpore &c. ex eadem naturæ lege, qua ſpecifica eſſentia tum Animæ, tum ipſius unionis ſubſiſtit, ex advertentia, & reflexione Animæ mutari poſſunt, ut ex mutato corporis ſitu &c. alio diſtrahatur, ad alia attendat &c. (§. 46.).

POSITIO VI.

§. 48.

E*St autem hæc lex univerſalis ab Auctore naturæ ſancita: ut res unaquælibet ad eſſentiam, & perfectio-*

fectionem ſuam conſervandam, & augendam vim habeat, ac tendat.

Eſt autem lex univerſalis ab Auctore naturæ ſancita: ut res quælibet ad eam quam ab eo, ex ordine Univerſi per ſapientiam ſuam ſemel ſancito, ſortita eſt, propriam, atque eſſentialem perfectionem, aut naturam tuendam, conſervandam, aut quadantenus augendam ex ſua vi, atque tali ſtructura, qua gaudet, & ab ordine ipſo hujus Univerſi determinatur, veluti ſponte, ſed & per cetera in Univerſo coordinata tendat, quamvis de ſe, & quatenus eſt etiam ens compoſitum (quod, quâ tale, purum eſt nihil), ad deficiendum properaret.

Sic lapidibus, v. g., & ceteris inorganicis, ſi qua ſunt, corporibus, cum duplex ſit, ut ita dicam, officium, ſive deſtinatio in Univerſo; ſuum nempe eſſe determinatum, ſeu ſpecificum, & molem Univerſi conſervare: vi adhæſionis ſibi adjungunt novas particulas: & vi mutuæ gravitatis ad corpus, quod mole præſtat, v. g. Terram, ſponte fluunt. Anima, cujus vis, ſeu vita eſt verum intelligere, & bonum appetere; & aliam vitam ſimul cum corpore agere, atque adſpectabili Mundo; intelligibilia, etiam ſingularia, & in individuo extra ipſam exiſtentia, ſibi repræſentat, ſeu intelligit, & ſic etiam determinata bona appetit, & ſenſibilia &c.

POSITIO VII.

§. 49.

Eſſentiæ *rerum, quarum duo omnino ſunt genera, vires nempe, aut ſubſtantiæ ſui repræſentativæ*, i. e. *ſimplicia Elementa; & intuitivæ ſui*, i. e. *ſpiritus: nullæ dantur, niſi in Deo, in quo vita ſunt*. Naturæ *vero, ſeu perfectiones, ex finibus earum ſunt determinatæ, per ſe, & extra Deum exiſtentes:*

Itaque duo omnino ſunt genera rerum a Deo creatarum, ſimplex, & compoſitum: ſeu verius, ſubſtantiæ ſpiritales, & ſimplices non ſpiritales, ex quarum concurſu, & unione materia conſtat, ſeu corpus, & Mundus ipſe adſpectabilis: illud immediate propter ſe, iſtud immediate propter illud, & ultimate propter ſe (*b*). §. 50.

(b) *Plotinus lib. de immortalitate Animæ ſic de eſſentia ſimplicis naturæ habet: „ Omnino vero neceſſe „ eſt alteram quamdam eſſe naturam præter corpora, quæ „ eſſe habeat ex ſe ipſa, taleque eſſe omne quod vere ens „ judicatur: quod quidem neque fit, neque perit, alioqui „ cetera omnia dilabentur, neque gignentur iterum, ſi „ quando ejuſmodi natura perierit, quæ profecto his omnibus ſalutem præbet, & ipſi etiam Univerſo ſervato „ per Animam, atque exornato. Hæc enim motus principium eſt, aliis exhibens motionem, movens interim „ ſemetipſam, & vitam animato corpori præſtans. Ipſa* vero

Digitized by Google

§. 50.

E*ſſentia, ſeu potius vita ſpiritus proprie conſiſtit in vi repræſentativa ſuimetipſius ſibi*, pro eo quod talibus determinationibus conſtat, quæ ſibi invicem non repugnant, neque per ſe invicem determinantur, ſed libere Deus limitare, ac determinare voluit, quas novit ſufficere ad ea obeunda munia, quæ apta ſunt ad *immediatum*, ac *ultimum tandem ejus finem obtinendum*. Unde eſſentialia ſpiritus nemo unquam intelliget, niſi ille, cui perſpecta fuerint cujuſque ſpiritus munia omnia, & fines, quos Deus in ejus creatione ſibi præſtituit, omneſque reſpectus, quos ad alia omnia propemodum infinita habet. Vel verius, eſſentialia ſpiritus, & cujuſque ſubſtantiæ ſimplicis nulla ſunt extra Deum ipſum: quia in ſe omnis ſubſtantia finita nihil eſt, & to-

---

„ *vero ex ſe ipſa poſſidens, amiſſura nunquam, utpote* „ *quæ hanc habeat a ſe ipſa. Non enim omnia peregrina utuntur vita, alioqui in infinito progreſſio fiat,* „ *ſed oportet naturam quamdam exiſtere primo viventem,* „ *quam incorruptibilem, immortalemque eſſe neceſſarium* „ *eſt, utpote quæ aliis ſit vitæ principium. Hoc ſane* „ *in gradu omne divinum, atque beatum oportet conſiſtere,* „ *ex ſe ipſo vivens, atque exiſtens: primo exiſtens, primoque vivens, mutationis ſecundum eſſentiam expers,* „ *neque oriens, neque occidens &c.* „

& totum ſuum eſſe in *vita* ſubſiſtit, ſeu *actuoſitate* tali omnimode determinata, quam per ſe exhibet, ac manifeſtat (§. 9.), qua a Deo donatur; *quæque vis eſt ad ea actuanda, quæ ab Auctore ſui, & naturæ ſunt eidem præſtituta, continuo tendens*: quæ pro diverſitate actuum, quos edere pôteſt, vel in quos quælibet res erumpit, dicitur *natura* ejus propria.

Unde cum homo ex pane vivat, Chriſtus Dominus noſter Mat. 4. dixit: etiam *de omni verbo vivere, quod de ore Dei procedit*, i. e. ad extra fit, & quo conſervatur in eſſe ſuo, & vita cum ſpiritali, ſeu ſupernaturali, tum corporali, ſive naturali. Non enim *erit impoſſibile apud Deum* (Lucæ 1.) *omne verbum*.

§. 51.

C*orporis autem eſſentia*, quatenus phænomenon illud eſt (§. 11.) ex ſimplicibus ortum, *conſiſtit in modo, quo partes datæ, & non aliæ, ex ſimplicibus ortæ ſimul uniuntur, ſeu ſimul in uno cohærent, & coagunt ad illud obtinendum, ſeu actuandum*, quod fuit illis pro fine immediato, vel ultimo a Deo præſtitutum.

Unde aliud eſt corpus *iners*, cujus partes videntur ſimilares (§. 25.), & pure materiales; aliud *mixtum* (§. 30.), cujus partes mixtæ, & diſſimilares; aliud *organicum*, cujus partes veluti totidem *ſtatico-hydraulicæ* machinæ affabre (§. 31.) conſtructæ ſunt. Quorum *eſſentiam, ſi in modificationibus par-*

partium, *& modo*, *quo ſimul uniuntur*, Mens acquieſcat; clare, & diſtincte intelligit, atque enunciare, ſeu verbis explicare, ſola illarum idearum evolutione, valet. Sed cum ultima cum partium, tum compoſiti eſſentia ex ſimplicibus (§. 49.) conſtituatur, quæ tota eſt ſubſtantia illorum (§. 7.); eam nemo intelliget unquam, niſi cui perſpectæ fuerint vires omnium ſimplicium componentium, ſeu munia omnia, & fines, quos Deus in eorum creatione ſibi præſtituit, omneſque reſpectus, quos ad cetera ſimul cum ipſis coordinata habent, & habere poſſunt. Seu verius: nulla eſt illorum eſſentia extra Deum, cum nihil in ſe ſint poſitivi, ac realis determinati, ſed tota vita illorum conſiſtit in determinata vi (§. 9.), qua quodlibet ex his ſimplicibus ad ea actuanda tendit, quæ ab Auctore naturæ ſunt iis præſtituta, *& una ſimul edere poſſunt* (§. 11.): ut pro diverſitate actuum, in quos *ſimul erumpere poteſt compoſita vis illorum ſimplicium* (§. 22. & ſeq.), *natura* conſtituatur cum entis compoſiti in genere, tum in ſpecie talis, qua ratione tantum differt ab Anima, & ad finem immediatum boni ejus tendit; quamvis ultimate quoque ens compoſitum, ſicut corpus eſt, Mundus &c. ad Deum ipſum ordinatum tendat.

PO-

POSITIO VIII.

§. 52.

P*Rincipium autem rerum omnium Unicum eſt , Verum , & Summum Bonum , quod per ſe ſubſiſtit , & a ſe exiſtit . A quo cetera ſunt derivata cum intra , tum extra ſe .*

Quare ſi ad prima rerum cum ſpiritalium , tum corporearum principia devenire mente velimus : *Non aliud eſt omnium earum principium , præter Unicum, Verum , Summum & abſolutum Bonum , quod per ſe ſubſiſtit , & a ſe exiſtit* , in quo ſunt rerum omnium cum ſpiritalium , tum corporeatum , & ipſius Mundi cum exiſtentis , tum poſſibilis cujuſcumque formæ intelligibiles , æternæ , ad quarum ſimilitudinem *realia* facta ſunt omnia , quæ extra eam Mentem , ſeu extra unum illud , verum , & abſolutum bonum, quod eſt Deus , undique determinata , ſeu limitata , ac circumſcripta exiſtunt : cujus bonitatis , & aliarum perfectionum ſunt quædam ſimilitudo , & limitata participatio . (c) Quo-

(c) *D. Thomas q. XV. a.* 2. „ *Plures ideæ* , *inquit*, *ſunt in mente Divina , ut intellectæ ab ipſo .*
„ *Quod hoc modo poteſt , videri Ipſe enim (Deus) eſſentiam ſuam perfecte cognoſcit : unde cognoſcit eam*
„ *ſecundum omnem modum , quo cognoſcibilis eſt . Poteſt*
„ *autem cognoſci non ſolum ſecundum quod in ſe eſt* , *ſed*

Quorum eſſentia, ſeu *ſubſtantia* tota ſimplex eſt, neque per ſe, ac extra Deum ipſum quidquam eſt; ſed tota vita eſt (ſicut Deus ipſa eſt vita) ſeu vis, cujus actuoſitas, determinata forma, entelechia, aut H natu-

---

„ *ſed ſecundum quod eſt (ad extra determinate, ac limi-* „ *tate) participabilis (aut repræſentabilis) ſecundum* „ *aliquem modum ſimilitudinis a creaturis. Unaquæque* „ *autem creatura habet propriam (eſſentiam, aut) ſpe-* „ *ciem, ſecundum quod aliquo (determinato, ac limita-* „ *to) modo participat divinæ eſſentiæ ſimilitudinem (quam ad extra exiſtens, ſeipſam exhibendo* §. 8. *determinate* „ *manifeſtat, & repræſentat): ſic igitur inquantum Deus* „ *cognoſcit ſuam eſſentiam, ut ſic (determinate, & li-* „ *mitate) imitabilem (& repræſentabilem) a tali crea-* „ *tura, cognoſcit eam, ut propriam rationem, & ideam* „ *hujus creaturæ: & ſimiliter de aliis. Et ſic patet,* „ *quod Deus intelligit plures rationes proprias plurium* „ *rerum, quæ ſunt plures ideæ.*

Ut autem adhuc evidentius pateat, qui iſta Deus in ſe diſtincta, atque extra ſe nonniſi ſucceſſiva etiam exiſtentia uno indiviſibili, atque ſine ullo ſucceſſivo, ſed æterno, ſimpliciſſimo, infinito nutu, actuve videat, efficiatque; aptiſſima eſt ſimilitudo, quam idem A. D. *ſuppeditat Opuſc. contra error. Græcor. cap.* 10. *Ubi contingentium rerum, & libertatem hominum cum Divinæ præſcientiæ, uno indiviſibili, ac ſemper actuali, infallibili, æterno intuitu concilians, æternam ſcientiam, eamque ipſam æternitatem puncto*

Digitized by Google

natura, & perfectio per unum quid a Dei voluntate fuit conſtituta, ac limitata, ad quod tendere unumquodque debet juxta ideam intelligibilem ſui, & Univerſi, quæ eſt in mente ejus, & juxta univer-

---

cto comparat indiviſibili, atque extra cognoſcibilium lineam eminus, ac veluti in centro circuli conſiderato, ipſam vero rerum diſtinctarum cognoſcendarum ſucceſſivam exiſtentiam „ pluribus intra peripheriæ lineam diſtinctis „ punctis conſtitutis: unde infert, quod ſicut punctum „ intra lineam exiſtens non poteſt omnibus partibus lineæ „ adeſſe, ſed in diverſis partibus lineæ oportet diverſa „ puncta ſignari; punctum vero, quod extra lineam eſt, „ nihil prohibet æqualiter omnes lineæ partes reſpicere, „ ut patet in circulo, cujus centrum, cum ſit indiviſi„ bile, æqualiter reſpicit omnes circumferentiæ partes, „ & omnes quodammodo ſibi ſunt præſentes, licet non „ una earum alteri: Sic Deus, qui de æternitatis ex„ celſo omnia reſpicit, ſemper totum temporis (rerum„ que in continua ſerie ſucceſſivarum) decurſum, & om„ nia, quæ geruntur in tempore præſentialiter (h. e. „ uno, indiviſibili, ac ſimpliciſſimo actu) intuetur.


Hæc, inquam, ſimilitudo, quam quæ maxime quadrat explicandæ ſimplicitati actus indiviſibilis, atque immutabilis, æterni, & quinimo neceſſarii, & infiniti, qualis Deo enti ſimpliciſſimo, immutabili, æterno, neceſſario, atque infinito proprie convenit: quo tamen ceteras res a ſe diſtinctas nedum in ſemetipſo ut poſſibiles ſimul intuetur; verum etiam

verſalem legem (§. 48.), quam ipſis rebus, & naturæ univerſæ ordini ob bonum cujuſque rei, & Univerſi ipſius, ac tandem ſuum, inde ad ſe redundans, impoſuit.

---

etiam extra ſe volens libere diſtinctas producit. Nimirum actu indiviſibili *atque unico, res multas, atque a ſe invicem diviſas producit*; ſimpliciſſimo *res maxime etiam compoſitas, ac materiales*; æterno, *cui nihil ſucceſſivi, aut mutabilis ineſt, res ſibi invicem ſuccedentes, atque mutabiles*; neceſſario *etiam contingentes ac liberas*; infinito *finitas, ac per gradus variantes uſque ad imas, maximeque abjectas.*

Si enim in Circulo EFGC a centro D plures radii DC, Dc, &c. ad circumferentiam EFGC ducantur (ſiquidem tot duci poſſunt, quot puncta ſunt in dicta circumferentia diſtincta); quo plures radii ejuſmodi ducuntur, eo magis numerus punctorum, & diviſionum C, c, &c. in dicta circumferentiæ linea augeri intelligitur: in centro vero punctum D indiviſibile adhuc manet, eâque radiorum interpoſitione neque augetur, neque ullo pacto imminuitur, licet



Deus ſiquidem ſumme bonus, ſumme ſapiens, beneficus, atque omnipotens, a ſe ſemper vivens, ſeipſum intuens, atque intelligens comprehenſive, cujus intuitiva vis ſuimetipſius a nemine impediri poteſt: & id

---

licet pro ratione, qua numerus interpoſitorum radiorum DC augetur, reſpectuum etiam ad circumferentiam numerus C,c, &c. in centro D augeatur: & illud quoque mirandum in hac radiorum interpoſitione occurrit, quod in termino centralis puncti D radius DC, Dc, etiam indiviſibilis intelligitur, & nihil dividit; at in termino circumferentiæ Cccc ipſam peripheriæ lineam dividit, & diviſionum ſucceſſivarum numerum in infinitum, h. e. quoaduſque in eo imaginario ſpatio radiorum DC,Dc,&c. numerus finitus, ac limitatus augeri poteſt, auget.

Jam vero Unius Univerſi, ſive rerum poſſibilium, vel potius compoſſibilium circumquaque in imaginario toto ambiente EFGC ſpatio, & in toto ævo, ſeu imaginario infinito tempore, aut infinita reali ſucceſſivorum ſerie exiſtentium Univerſitatis centrum D, Deus eſt, cujus ſimplex, ac ſemper actualis vis ſuimetipſius intuitiva omnipotens, poſſibilia cuncta in ſe indiviſibiliter *continet, & compoſſibilia tantum omnia* diſtincta *facit*; æterna *abſque initio ac fine, & ſine ſucceſſivo ullo molimine*, temporalia, *ac* ſucceſſiva *ad extra operatur*; infinita *vis* finito modo *cuncta, pro eorum exigentia, attingit, ſuaviterque diſponit*; independens, neceſſario *exiſtens, atque neceſſario volens, & operans, bona tamen cuncta limitata*

& id omne eſt actu, quodcumque eſſe poteſt: *Verbum* vitæ ſuæ infinitum æque ac ipſe ab æterno generat diſtinctam Perſonam; & mutuo amore æque infinito, neceſſario, atque vivo, & æterno, quo voluptatem inde

---

ta, *ſeu finita a ſe diſtincta*, dependentia, contingentia, aut libera libere, *cum iis non egeat*, *etiam vult*, *&* *efficit*.

Itaque una eademque ſemper immutabilis in ſe Dei vis æterna, infinita, atque neceſſaria, cum bonorum noſtrorum non egeat, unum verum atque ſummum ſuum bonum nobis libere participans ab æternitatis immutabili inſtanti, & poſſibilia iſta, quibus eſſentiæ æternæ rerum conſtant, eminenter in ſe continens, & compoſſibilia omnia (quæ tantum fieri poſſunt), quibus reale infinitum ſpatium abſolvitur, veluti in centro Univerſitatis rerum finitarum intuens, ut propria donari natura, ac veluti ſui juris *fieri queant, diſtincta in ſe ipſis, & in ſucceſſiva ſerie continua ordinata, qua tempus reale incipit, & intelligitur eſſe, extra ſe & in activitatis ſuæ peripheria, i. e. in Mundo facit, jugiterque conſervat: Ipſæ vero res ſic a Deo actuatæ, & in propria cujuſque natura, ſeu activitate, qua ſeipſas determinate repræſentare valeant, conſtitutæ in Mundo actu exiſtentes, quamvis materiales, atque limitatæ, & a ſe invicem diviſæ, aut diverſæ; quo magis ad centrum D, ſeu ad ſuum principium Deum accedunt, eo ſimpliciores, ſublimiores, & a materialitate, ſeu limitationibus puriores ſunt, quoadusque plures veluti divi-*

inde Pater percipit de ſumma Filii perfectione, ac felicitate, & hujus de perfectione, ac felicitate Patris, tertiam æque infinitam Perſonam mutuo ſpirant. Sed & in eſſe ſuo, quod ſemper intuetur, ac compre-

divinitatis irradiationes D C, Dc, &c. in ipſo ſuo centro D unum cum ipſo fiant. Ut ſi in dicto circulo EFGC radiorum DC, Dc, &c. puncta peripheriæ C, c, &c. corpora repræſentent; puncta B, b, &c., Bruta animantia; H, h, &c., Homines; A, a, &c., Angelos, &c. quo magis a centro D, recedunt, eo magis res limitatæ ſunt, & materiales, & defectibiles, ſive corruptioni ſubjectæ; quo vero magis ad ipſum centrum D accedunt, Brutum, Homo, Angelus eo magis ad ſui principii, nempe Dei ſimplicitatem, activitatem, infinitatem, æternitatem, nobilitatem, ſeu ſublimitatem naturæ accedunt, &c.

Reliqua ſupple, S. & B. L. Et eadem ſollertia, atque comitate ad rem hanc applica Lucis ſimilitudinem, qua S. Auguſt. ſerm. 341. *cap.* 6. *ad alia attributa Dei explicanda utitur:* „ *Neque enim (inquit ibi.) in Deo* „ *aliud eſt poteſtas, aliud prudentia, aliud fortitudo, &* „ *aliud juſtitia, aut aliud caſtitas. Quidquid horum de* „ *Deo dicis, neque aliud, & aliud intelligitur (quatenus* „ *ſcilicet in Deo vere ſunt), & nihil digne dicitur,* „ *quia hæc* animarum *ſunt, quas* illa lux *perfundit,* „ *quodam modo, & pro* ſuis qualitatibus *(ſecundum* „ *earum ſcilicet exigentiam)* afficit, *quomodo cum ori-* „ *tur* corporibus lux *iſta viſibilis. Si auferatur, unus eſt* „ *corporibus omnis color, qui potius dicendus eſt nullus color.* Cum

prehendit, Poſſibilia omnia ſimul videt, quæ nempe fieri, & per ſuam omnipotentiam poſſunt ex iis, quæ in ſe ſunt infinitis perfectionibus, limitando eas, & combinando, quæ ſibi invicem ſic limitata non repugnant, neque per ſe invicem determinantur, ſed ex quibus determinari ſufficienter poſſent, quæ ſibi bona videntur in iis adfutura, ſi actu eſſent; percipit inde ipſe Pater & voluptatem ex bono, quod in talibus determinatis naturis, ſeu actu extituris eſſentiis eſſet, ſeu amorem erga illa concipit, quorum felicitatem ex bono illo prævifo appetit. Infinita vero ſapientia ſua novit illa ad optimum cujuſque, & ſuum ultimum finem ordinare, qui non alius eſſe poteſt, præter gloriam ſuam manifeſtandam, & ſummam etiam felicitatem ſuam iis, quadantenus poteſt, participandam, quod bonum etiam eſſe quoad ſe ſibi repræſentat (bonum enim amici eſt etiam bonum noſtrum) : & quia natura benignus eſt, atque omnipotens, vult, & poteſt ea ita limitare, atque ordinare; & ſic abſoluta volun-

„ *Cum autem illa illuſtraverit corpora; quamvis ipſa unius* „ *modi ſit (ſaltim ut ante Newton. Veteres cenſuere)*, „ *pro* diverſis *tamen* corporum qualitatibus, diver- „ ſo *ea* nitore *adſpergit*. *Ergo* animarum (*ita &* „ *corporum intellige*) ſunt iſtæ affectiones, quæ *bene* „ ſunt affectæ ab illa luce, quæ non afficitur, & „ formatæ *ab illa, quæ non formatur*.

voluntate, ſed pro ratione limitatæ in iis bonitatis, eminenter libera, limitando ſuas illas perfectiones, atque intellectuales ideas intelligibilium rerum, & ſibi invicem, & ad ſe tandem ordinando, & ſubordinando: *Verbo, & imperio voluntatis ſuæ procreat*.

Primo intentum, ut ita dicam, ultimo loco in plenitudine temporis, ut ordo ipſe exigit eorum, exequutioni demandando: nempe hypoſtaticam totius naturæ ſuæ in una Perſona unigeniti Filii ſui unionem cum univerſa natura cum ſpiritali, tum corporea in homine, qui de utraque participat: Quod eſt Opus omnium maximum eorum, quæ ad adſpectabilem Mundum ſpectant, & medium optimum, ac certiſſimum ad ultimum finem creationis Mundi aſſequendum: quod proinde ultimo loco, poſt ipſum jam conſtitutum Mundum, & Eccleſiam, ſive Populum ſibi acceptabilem cum ſuis omnibus *hypothetice neceſſariis partibus*, Patriarchis nimirum, Prophetis, & ſuis rectoribus, atque adminiſtratoriis Spiritibus, veluti totidem Machinæ rotis, aut unius Corporis membris: *JAM FIT*.

Unde in principio temporis, cum nempe cœperit eſſe *ſenſibilis* in hoc jam exiſtente ſyſtemate redacta *ſucceſſio rerum* in continua ſerie mutabili (Geneſ. 1.), & præterfluente; ſi Animas omnes humanas non creavit (quippe quæ tunc demum, cum in commercio cum ſuis corporibus, & toto mundo erunt, ſeſe manifeſtant): certe ſimplicia omnia, ex quorum coexiſtentia, & variis, quibus combinari poterant modis

(§. 22.

(§. 22. & ſeq.), & ordine, quo ſimul coexiſtunt, vel invicem ſibi ſuccedunt, Mundus ipſe adſpectabilis emergit, creavit, *& ſpiritu ſuo, qui ferebatur* (ibi *v.* 2.) *ſuper aquas*, fecundavit.

Et ſpatio determinato ſex dierum *ad ſibi propriam perfectionem comparandam*, materiem illam, quæ ex partibus conſtituta erat quaſi ſimilaribus, ſeu ſimplicibus, *juſſu ſuo* illo eodem, atque unico, non multiplicatis moliminibus, variis in illis ſimplicibus, *pro exigentia eorumdem* ſucceſſivarum determinationum, modificationibus ſuperinductis, & ordine a fine cujuſque determinato, diſtribuit, ac in ſyſtemata redegit; ſeu ſimul in uno viribus, ut ita dicam, illorum ſimplicium compactis, *ac ſenſibilibus factis*, Solem fecit, & Lunam, Cælum, Sydera, Terras, Aquam, Aerem, Ignem, Mineralia, Metalla, Herbas, Plantas, Aves, Piſces, Bruta animalia, itemque brutum Corpus hominis. Verbo, ſpecies determinavit, & individua rerum, ex quorum coexiſtentia, & ſucceſsiva exiſtentia adſpectabilis Mundus exiſtit, & componitur.

§. 53.

Quorum quidem ſimplicium virium aggregata, pro diverſitate actuum, in quos quodque eorum erumpere poteſt, vel pro ratione effectuum ſimilium, quos edere poſſunt, certa *natura* (ad quam nempe ſunt nata) determinata ſunt, ut *Genera* dican-

 tur,

tur, aut *Species*, aut *Individua*: ut quædam hinc ſint *Corpora mixta*, quædam *ſimplicia*, quædam *organica*; atque ex his alia, quæ dicuntur plane *inertia*, alia *gravia*, *elaſtica*, aut *electrica*, alia *vegetabilia*, alia *ſenſitiva*, quale *eſt Corpus humanum* (§. 22. & ſeqq.).

Huic demum per voluntatem quoque Dei copulata eſt phyſico, aut potius *metaphyſico nexu* Anima ſpiritalis, quam Deus ipſe (Geneſ. 2. v. 7.) *in faciem ejus inſpiravit*: quæ non unius, aut alterius perfectionis Dei limitatione extra Deum ſubſiſtit, ſed ipſa totius eſſentiæ, & naturæ Dei imaginis, atque ſimilitudinis determinatione (Gen. 1. v. 26.) creata eſt.

Quæ ideo, non ſecus ac Deus ipſe, *vis eſt ſuimetipſius intuitiua*, pro eo quod tamen eſt ab alio exiſtens, atque undique a coordinatis limitata, ſeu omnimode determinata (§. 20.); & per hoc ſui quoque eſt modificativa (§. 9.): ſed modificabilis præterea eſt, ſeu determinabilis ab iis aliis omnibus (§. 36.), quæ a ſe non dependent, & ſimul tamen cum ea coexiſtunt, quatenus ad ea ordinatur in uno Univerſo non intelligibili tantum (§. 46.), ſed etiam in reali, atque adſpectabili jam exiſtente Mundo, mediante ſuo Corpore, quocum (non ſecus ac alia ſimplicia ad efficienda ſenſibilia corpora) phyſice, aut metaphyſice ex voluntate, atque ſapientiſſima lege Dei univerſali naturæ, qua ſpecies humana ſubſiſtere debet (§. 48.), unitur, & a ſe ipſa ab eodem Corpore ſuo inſeparabilis eſt.

PO-

POSITIO VIIII.

§. 54.

Singulare ergo, & individuum exiſtens, vis eſt ſimplex, vel compoſita reſultans ex pluribus determinatis viribus ſimul ad idem aliquod actuandum, determinato modo, ſecundum exigentiam earundem virium, a Deo aggregatis.

Quorum natura per id intelligitur, & eſt, ad quod actuandum ſunt nata.

Quorum ſpecies eadem eſt, aut diverſa, ſi id quod ab uno eſt actuandum, ſimile ſit ei, quod eſt actuandum ab alio, & contra.

POSITIO X.

§. 55.

Anima vero humana non unius, aut alterius perfectionis Dei, ſed totius ejus naturæ, ſeu eſſentiæ limitata eſt imago, per liberam proceſſionem Dei ad extra exiſtens. Hinc vis eſt ſuimetipſius, pro eo quod in ea & extra eam eſt limitatum, intuitiva, & modificativa; & quatenus ad alia extra ſe realia a ſe independentia coordinatur, ab ipſis modificabilis, ſeu limitabilis; a Deo humano corpori organico ſic phyſice, aut potius metaphyſice unita, quæ proinde ex lege univerſali naturæ (§.48.) qua ſpecies humana ſubſiſtere

I 2 debet,

debet, a ſe ipſa ab eodem corpore ſuo inſeparabilis eſt. Ut modo demonſtravimus (*d*).

POSITIO XI.

§. 56.

CUm autem lex ea ſit ab Auctore Univerſi ſancita (§.48.), ut res unaquælibet, ut eſt a Deo in ſua ſpecie conſtituta per unionem talium ſimplicium determinatarum virium, ut ſupra (§.52.) diximus; (non autem, ut ab hiſce ſpeciebus, & ſecundis cauſis, ſeu naturis eſt modificata, ſeu limitata atque determinata), ad conſervandum, quantum propriæ cujuſque vires valent, aut magis etiam perficiendum ſe ipſam tendat: *ea lex in eo propriè conſiſtit*, quod ſicut per creationem Deus ſuas perfectiones limitando, infinitas propemodum a ſe diſtinctas ſimplices vires diverſas exiſtere fecit; & eas varie inter ſe, & ad ſemetipſum ordi-

„ (d) *De præſtantiſſima igitur Animæ noſtræ ſpecie,* „ *inquit in Timæo Plato, ita eſt ſentiendum. Nempe hanc* „ *Deus ut Dæmonem noſtrum cuique tribuit: hanc in cor-* „ *poris arce ſedem habere dicimus, atque ad Cæli cogni-* „ *tionem a terra nos tollere, tamquam animalia cæleſti po-* „ *tius, quam terreno ſemine nata. Quod quidem recte ad-* „ *modum dicitur. Unde enim primus Animæ datus eſt or-* „ *tus, inde divina vis caput, radicemque, & originem no-* „ *ſtram pendentem ſuſpendens; totum dirigit corpus &c.*

Digitized by Google

ordinando ſimul in uno phyſice copulavit, ut varia inde corpora (§.52.) exiſterent, & Animæ corporibus unitæ; *ita jam per conſervationem, ſeu continuum concurſum ſuum non ſolum ſimplicia conſervet, vireſque continuo tribuat, ſed & quælibet ex his compoſita, cujuſmodi eſt etiam homo.*

Eſt vero hæc lex, pro ſimplicibus ipſe actus immutabilis Dei ad extra creationis, & conſervationis; pro compoſitis autem Providentia Dei, aut generalis concurſus ad rem unamquamque in ſua ſpecie, & Mundum ipſum totum conſervandum, ne in ſua principia diſſolvatur, & ad ſui deſtructionem perveniat, ad quam de ſe ceteroquin tenderet.

Nimirum ſimplicium ſingulorum determinatæ ſunt vires; & fortaſſe omnes inter ſe diverſæ, ut ſingulæ ſubſtantiæ a ſingulis differant, aliquo activitatis, ac directionis, infinite vario niſu, ad ſeipſas a ſe invicem diſtinctas, ſeu diverſas, & ad Mundum repræſentandum, ſeu conſtituendum. Itaque ad Mundum repræſentandum, & conſtituendum, ut ſupra (§.52.) diximus, quædam ex his uno modo, veluti ab aliis diviſæ, in uno per voluntatem Dei, atque *verbo oris ſui* conſtitutæ ſunt coexiſtentes, ſeu ſimul cohærentes, & verſus omnes plagas, ſed oppoſitas æqualiter coagentes, atque adeo ſibi invicem reſiſtentes, ut partes ſimilares componerent ſimplicis corporis, ſeu ſecundarii Elementi; aliæ alio modo; & modo diverſo aliæ. Porro ex his quædam partes jam compoſitæ, ſimul cum aliis aliorum elementorum ſimul coexiſtunt, ſeu ſimul & in ſe invicem agunt, & rea-

reagunt *pro exigentia*, *ſeu temperatura partium mixtarum ad mixtum ipſum efficiendum* , ut ſolida quædam inde fiant, alia fluida. Jam vero rurſus ex his, pluribus affabre compoſitis, corpus fit organicum (§. 31.) ſeu pro ſtructura partium , quæ organi ad inſtar, mediante fluido , variis cietur motibus , ſenſibus variis præditum, auctionis, vel diminutionis, & generationis, ac corruptionis capax : quale fuit Corpus animale Adam digitis Dei ipſius ex Terra , & Aqua (Gen. 2. v. 7.) ſimul permixtis efformatum, cui demum ab extra acceſſit ſpiritalis vis diverſæ prorſus ſpeciei, quæ vis eſt ſuimetipſius ſibi repræſentativa ad imaginem Dei eſſentialiter determinata, i. e. *Anima* (§. 53.), *quam ipſe Deus in faciem illius corporis inſpiravit : ut ad ſimilitudinem quoque Dei omnium actionum ſuarum etiam ad extra*, *ſicut & ceterorum*, *quæ extra ipſum ſunt*, *& quæ ſimul cum eo ſunt connexa*, *eſſet Domina & Moderatrix* (§. 55.).

POSITIO XII.

§. 57.

Diſcrimen ergo Animæ a Deo in limitatione vis repræſentativæ ſui, *quantum ad id quod ipſa eſt* , *& modum quo eſt limitata* , *& dependenter ab alio exiſtens*, *conſiſtit*.

EX-

EXCURSUS VIII.

Quo exponitur origo idearum, & volitionum Animæ: nec non & Animæ humanæ cum ſuo corpore unio.

§. 58.

ENim vero cum Anima ad imaginem Dei ſit facta vis ſuimetipſius repræſentativa limitata; pro limitatione eidem eſſentiali, *quatenus ens eſt finitum* undique determinatum ab alio exiſtens, æternas atque immutabiles rerum, ſeu eſſentiarum intelligibiles ideas in ſe continet, ſed confuſas tamen, i. e. vagas atque nullimode determinatas, atque ideam præſertim veritatis, unitatis, & bonitatis, perfectioniſve ſuæ, quas continuo producit (§. 37. & ſeq. §. 46.); ex *ordine* vero, quem habet independenter a ſe, ſed dependenter à Deo cum rebus exiſtentibus, quibuſcum per voluntatem, & concurſum Dei connexa eſt, ad illud actuandum, quod ei Deus ipſe præſtituit, atque præordinavit, *a ceteris iis coexiſtentibus, & connexis ita modificatur, ac limitatur, ſeu intelligibiles illius ideæ modificantur, & limitantur, ut & ſeipſam diſtincte* (§.46.) *intelligat*, ſeu ſibi repræſentet, & ſimul *deprehendat* ea (quippe a ſe diverſa) ab extra, ſive extra ſe *realiter exiſtere*, & individua eſſe, & individua quidem talia potius, quam alia (§.45), atque adeo talia *vera determinate*, ac proinde *bona*, aut

aut *mala* in ſe, aut ſibi, quatenus quidquam ad perfectionem ſuam, aut corporis, quod jam intelligit ſuum, & ad totum ipſum hominem (§.42.) conferre poſſunt, aut eisdem nocere, *ſpeciali quodam*, ex jucunda, aut moleſta ſenſatione, *affectu* in ea excitato, quo non tantum illa *bona*, *aut mala eſſe in ſe*, *ſed etiam quoad ſe*, *& in individuo deprehendat*: ad quod porro bonum cum per naturam ſuam, ſicut Deus, ſit inclinata (§. 57.), ſi *attendat*, *& animum advertat ad ejus poſſibilitatem*, *jam fertur appetendum*, ut ſi nihil eidem reſiſtat, in *actum volitionis erumpat*, ſeu actu velit; in caſu vero contrario, in velleitate tantum, ſeu tendentia, deſiderio, & intentione ejus maneat.

Et profecto ſufficit illa Animæ attenta, atque libera *objecti intentio proſecutiva*, quæ eſt *perceptio boni ſpecialis*, *ſeu individui talis determinate prævifi*, quatenus in aliqua exernorum exiſtentium, & potiſſimum ſui corporis mutatione ab extra ad intra, & ab intra ad extra (§.17.) eſſe poteſt, ut ſi alioquin corpus ipſum per vim ſuam propriam, atque eſſentialem (§. 22. & ſeq.) non reſiſtat; mutatio illa, ſeu motus ille ex volitione Animæ ad extra in ſuo Corpore ſequatur: Anima enim ejus eſt etiam Domina & Moderatrix (§. 56.): & non unius, aut alterius perfectionis, ſeu activitatis Dei, ſed totius ejus naturæ, & eſſentiæ limitata eſt (§. 55.) imago. Unde eſt quodammodo in ea, qua Deo quoque aſſimilatur, *Potentia* etiam, ut ita dicam, *creatrix* ab eo eidem participata, qua ex præcognita *ejus* poſſibilitatis *idea*, *motum creat extrin-*

trin-

trinſecus in ſuo , & ceteris corporibus , dum id ſibi bonum videtur. Et præterea *ideas ſuas* per cognitiones *ſymbolicas* in aliorum extra ſe mentibus *producit*, qua eas immutat ac ſuadet (*e*).

K PO-

(e) *Nimirum generatim ſpirituum quoque eſt ſic inter ſe ſermocinari, ut præconceptas ſuas notiones, quas volunt, abſque ullis verborum ſymbolis, ſed per ſolam tantummodo intentionem ad alios dirigendo, manifeſtent. Quinimo Angeli, ut docet S. Thomas opuſc. XI. art.*3. movent cœlos ſola conceptione ſui intellectus efficaci.

Viciſſim vero cum determinatio idearum animæ actualis *quoddam ſit contingens; ſicut contingentes ſunt animæ eidem ideæ* ſic nec aliter, hoc nec alio modo determinatæ; *ſui rationem ſufficientem in eo agnoſcit, quod eſt extra animam, quocum ipſa coordinatur, & commercium habet; in corpore nempe ſuo immediate, & in toto Mundo mediate. Determinatio enim omnium virium in genere, ut ſupra* (§. 45.) *diximus, duplex eſt, directio nimirum, & celeritas, ſive gradus conatus. Prior, ut in motu corporum certa eſt* plaga, *quam verſus motus fieri debet; altera* gradus vis, *quæ* celeritas *dicitur: ita in anima, quæ ideas in certum* objectum *flectit, ipſa ejus animæ* intentio *eſt, ſeu determinata directio; quæ vero notiones certo* claritatis gradu *circumſcribit, gradum ejus vis & conatus, ſive* intenſionis *aut extenſionis animæ determinat. Unde & idearum animæ actu determinatarum, ſeu vere in ea exi-*

ſten-

POSITIO. XIII.

§. 59.

DEpendentia ordinis, quam ex libera Dei voluntate habet Anima a Corpore, quantumvis ea eminentior, & perfectior ſit vis, quam illa Corporis; & Corporis viciſſim ab Anima ad idem aliquod per conjunctas proprias cujuſque vires actuandum, id eſt proprie, in quo realis unio conſiſtit Animæ, & Corporis; & perfectio hominis eſt eſſentialis, ſeu ipſa eſt determinata eſſentia, & natura hominis accidentalis, aut metaphyſica.

Equidem in hac mutua actione, & reactione, ſeu vicaria modificatione, determinatione, & limitatione, *appetitu* ſcilicet Animæ ex præcognitione boni potiſſimum ſingularis, ſeu omnimode determinati, atque individui, & Corporis (qui inde determinatur) *motu* ex ejus appetitu, & intneſione voluntatis *unio conſiſtit Animæ & Corporis humani*, toti quidem homini eſſentialis, qui *ſpecies eſt quædam compoſiti*, *ſive taliter determinata natura*, & quidem primigenia, quæ ex lege ſubſiſtit illa, quam ſupra explicavimus, uni-

---

ſtentium origo formalis *ab externo pendet principio*. Nempe ſitus corporis *in hoc univerſo, ut hæc potius objecta, quam alia mens ideis ſuis repræſentet*, *efficit*; Motus *vero*, *ſive modificationes in ejus corpore nunc tardiores, nunc velociores, ut idearum claritas vel obſcuritas major minorve ſequatur*, *præſtant*.

Digitized by Google

univerſali (§. 48.), & ex concurſu Dei ad illam (§. 56.), qua ens unumquodque cum propriis ſuis viribus in ſua ſpecie continetur, & ſuam perfectionem naturalem in eo conſiſtentem, quod eſt ab ea ex libera Dei voluntate actuandum, conſervare, aut etiam augere enititur: de qua non abſonum erit intelligere illud Math. 19. & Marc. 10. Chriſti Domini dictum: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet;* ſed ipſi Animæ ea unio, ut ſupra (§. 46.) diximus, accidentalis eſt; non ſecus ac quælibet alia unio talium determinatorum ſimplicium ad conſtituendum tale determinatum compoſitum eſſentialis, quæ reſpectu ipſorum ſimplicium accidentalis eſt, etiamſi primigenia: utpote quæ a libera Dei voluntate dependet; & quatenus per continuum concurſum Dei ad illam conſervandam ſubſiſtit, *Metaphyſica* etiam unio ejuſmodi dicenda eſt.

POSITIO XLIII.

§. 60.

HOmo igitur per eſſentiam, quâ talis, quæ extra ipſum realia ſunt entia ſingularia, atque omnimode determinata exiſtere cognoſcit.

Et pro diverſo modo, quo ab ipſis modificatur, ea diſtincte percipit; ut pro vi, quam per attentionem, & reflexionem (§. 45.) Anima ipſa ejus habet ea appercipiendi, vera eſſe, aut falſa, bona, aut mala &c. talia

 judi-

judicet, quatenus ad illud actuandum faciunt, quod proprium eſt a ſe, aut a corpore, aut a ſe ipſa ſimul cum corpore per propriam cujuſque eſſentiam actuandum.

Quo cum appercipiat bonum illud in ſe poſſibile, illud appetit, ſive amat, & contra. Et quia bonum etiam illud in ſe ſibi, ſeu quoad ſe, quoad corpus ſuum, aut totum hominem, attendendo, & reflectendo, judicat, ipſum vult: & ſi nihil ejus conatui ad volendum reſiſtat, in actum volitionis ejus externum erumpit proprium.

Enimvero haud equidem diffiteor Philoſopho non ſatisfacere, qui Phænomeni alicujus rationem allaturus, Deum dicat ſimpliciter ita velle, ex. g. non ſufficit Deum velle, ut ad ſolutionem continui, quæ præſens corpus noſtrum deſtruit, in mente noſtra, cui corpus illud eſt adnexum, perceptio moleſta excitetur; ſed opus inſuper eſt, ut adſit medium naturale, quo Deus efficiat, ut talis perceptio in mente oriatur; ſive rectius, quo ex natura ipſius mentis, & ejus corporis ſolutio ſui corporis ab anima intelligatur. Sed apparet jam ex his modo dictis, & adhuc dilucidius ex infra dicendis oſtendetur, medium tale eſſe ipſam *animæ vim repræſentativam ſui ſibi, quatenus ſic & non aliter naturata, ſeu individuata per Dei voluntatem exiſtit;* quatenus ſcilicet ſic a ſuo corpore, & ceteris coexiſtentibus, quibuſcum coordinatur, limitatur, & omnimode determinatur, ſeu modificatur, ut individua ſit talis & exiſtat: quippe quæ per eſſentiam ſuam finita eſt, & illud eſt determinate ac diſtincte, quod non ſunt

cete-

cetera coexiſtentia, vel ſucceſſiva, quibuſcum coordinatur, &. per oppoſitionem (§. 46.) ad hæc ipſa coordinata.

EXCURSUS VIIII.

Quo declaratur, undenam libertas, & mutabilitas oriatur actuum humanorum; & contingentia cæterarum compoſitarum ſpecierum in individuo.

POSITIO XV.

§. 61.

Actus igitur omnes determinati, *ſeu individui* etiam hominis, quatenus is compoſitum eſt ex anima conſtans & corpore; & *effectus*, qui inde determinantur, actus ſunt cauſæ cujuſdam ſecundæ compoſitæ, licet primigeniæ, & ſpeciei entis derivativæ accidentalis (§.49.) materialis; & per conſequens *mutabiles ex ſe ſunt, & contingentes*, ſpecies non ſunt ulla, ſive determinata eſſentia, & forma, ex iis quas Deus condidit (§. 52.); unde non ſecus atque actus omnes omnium aliorum compoſitorum corporum, qui ex ſimplicibus determinantur, & reſultant, *phænomena ſunt virium ſimplicium*, nempe Animæ, & ſimplicium virium corporis ipſius hominis, quatenus in uno coexiſtunt, coordinatæ, ſeu uniuntur, & coagunt a ſe invicem determinatæ ad ipſam hominis eſſentiam repræſen-

tan-

tandam : *Unde per eſſentiam, ſive potius naturam hominis, quà talis, accidentalem determinantur, ut potius tales ſint, quam alii, non ſecus atque actus alii corporis cujuſcumque. Ac proinde legi univerſali eidem naturæ a Deo ſancitæ, qua ſpecies ipſæ ſunt factæ, & conſervantur, non ſubſunt; ſed per alias omnino ſpeciales a divina ſapientia, & providentia dependentes diriguntur, & ordinantur, ac ſibi invicem, & tandem ipſimet Deo ſubordinantur ad hoc, ut in individuo modificentur, determinentur, ac fient.*

Hujus generis ſunt porro artefacta omnia; actus morales hominis, qui ab Anima ſimul dependent, & ab actionibus corporis cum ſui, tum ceterorum coordinatorum, vel coexiſtentium, & ſucceſſivorum mediate, vel immediate in ipſam hominis Animam influentium in Mundo; vel ſupernaturaliter quoque, & extra ipſum, ex immediato ſcilicet Dei concurſu; & ſenſationes, ſeu rerum ſenſibilium perceptiones, aut ideæ, & omnes denique, qui a memoria determinantur, ingenio, phantaſia, ſeu imaginatione, &c.

Enimvero actus hi omnes non ſunt eſſentialiter, ſeu ex ſua natura determinate unum verum bonum, ſeu neceſſario non ſunt ſimplices, immutabiles, perfecti, per ſe vivi, ſeu viventes, perennes, ſeu ingenerabiles, & incorruptibiles; neque *ullam* propriam, *atque ſpecificam eſſentiam habent, aut determinatam de ſe naturam*: ſed hæc omnia ſunt hypothetice, quatenus nimirum ſic determinati exiſtunt, dependenter omnino, & ſubſiſtunt, *per unionem nempe Animæ, & corpo-*

corporis, *vel aliarum ſimplicium virium* ſic in uno pro ſua cujuſque exigentia agentium: ac ſicut unio omnis accidentalis (§.49.), licet primigenia ſit; *ita & actus omnes, qui ex unione illa determinantur, accidentales ſunt, atque mutabiles*.

POSITIO XVI.

§. 62.

Quales profecto tamen non ſunt, qui indeterminate ex primigeniis illis neceſſario dependent (§. 9.) *ut e. g. in homine eſt niſus, ſeu neceſſaria, & naturalis, ſeu eſſentialis inclinatio, & tendentia ad verum, & bonum in genere ſpectatum; & in ejus, vel quocumque alio corpore vis repræſentativa ſui, quæ ratione ſimplicium, quibus illud componitur, neceſſario, ſive eſſentialiter, uti ajunt, eidem convenit* (§. 9.).

POSITIO XVII.

§. 63.

Poteſt ergo actus *hominis omnis, ſicut & rei cujuſque in Mundo adſpectabili exiſtentis verus eſſe, aut falſus, bonus, aut malus, mutabilis, corruptibilis, ac morti ſubjectus, ac penitus deſtrui*: talia ſunt omnes habitus virtutis, aut vitii, omnia artefacta, & cætera entia ab homine, animalibus, &c. quatenus indivi-

dua.

Digitized by Google

dua ſunt, per actus ſpeciei cujuſcumque hujuſmodi entis compoſiti, omnimode determinata, & exiſtentia.

POSITIO XVIII.

§. 64.

Quamobrem vita Hominis magis imperfecta eſt dicenda, quam vita ſolius Animæ, ſi qua obſervabilis (§. 52. *adn. c.*) *eſſe poſſet. Vita autem Corporis magis imperfecta eſt, quam vita Hominis, utpote quæ apta eſt ad pauciora, & imperfectiora, quam ea, actuanda. Utraque vero accidentalis, mutabilis, auctionis, ſive perfectionis, aut diminutionis, ſive imperfectionis accidentalis, corruptionis, defectus, aut deſtructionis eſt capax.*

Vita ergo hominis, qualis exiſtit vi conjunctionis Animæ cum corpore, ex qua alii derivantur actus, ideo *humani* ſimpliciter dicti, qui ab iis differunt, qui ſunt ſolius Animæ, aut ſolius corporis, magis imperfecta eſt, quam vita ſolius Animæ, ſi qua omnimode determinata, & obſervabilis, ſive ſenſibilis eſſe poſſet, ſejunctæ a corpore. Et vita corporis propria, quæ conſiſtit in functionibus organicis, quatenus organa in eo coexiſtunt per liberam Dei voluntatem ſimul unita, & connexa, ſeu coordinata; quæ talia ſunt, ut ab externis objectis (§. 31.) modificari ita valeant, ut imaginem ipſorum in ſe recipiant, ſeu ſenſibiliter, & materia-

liter

Digitized by Google

liter ea percipiant (§. 17.), & ſentiant (*f*); multo minus perfecta eſt, quam vita Animæ ſpiritalis, & intellectiva, ac proinde etiam totius hominis: accidentalis item ea eſt, non eſſentialiter ſimplex, immutabilis, perfecta, per ſe viva, ingenerabilis, & incorruptibilis, aut immortalis. Et ideo per remedia, quemadmodum erat lignum vitæ in Paradiſo E-

L den

(f) „ *Sic ſe habet ſenſus ad cognoſcendum res,* „ *inquantum ſimilitudo rerum eſt in ſenſu* (*ſive in Phantaſia*, *ait D. Thomas* 1. *p. q. XVII. a.* 2. „ *quærens, utrum falſitas ſit in ſenſu*). *Similitudo autem alicujus rei eſt in ſenſu tripliciter. Uno modo* „ primo, & per ſe (*ſive ut eſſentialiter ipſa natura ſenſus exigit*), *ſicut in viſu eſt ſimilitudo* „ (*ſeu materialis idea*) *colorum* (*non autem lucis,* „ *aeris, aut ætheris, quibus oculus immergitur*), *& aliorum proprioruin ſenſibilium. Et alio modo* per ſe, „ ſed non primo (*h. e. tamquam attributum proprium, quod ab ea eſſentia determinatur, ut eſſe poſſit*), „ *ſicut in viſu eſt ſimilitudo figuræ* (*vel figurarum in* „ *genere, & in abſtracto*), *vel magnitudinum, &* „ *aliorum communium ſenſibilium omnium. Tertio modo* nec primo, nec per ſe, ſed per accidens, „ *ſicut in viſu eſt ſimilitudo* (*ſingularis, atque talis determinate in concreto figuræ, vel colorati v. g.*) „ *hominis, non inquantum eſt homo, ſed inquantum* „ *huic colorato,* (*ac taliter configurato*) *accidit eſſe* „ *hominem*.

den (Gen. 3. v. 22.) reparari poteſt, vel contra ſolvi poteſt per ſolutionem partium organicarum corporis, & organorum ſenſoriorum; perfici ſimiliter poteſt, ſeu fieri potior, aut infirmior; ipſo uſu, & exercitio moderato fieri poteſt magis expedita; nimio uſu tardior, teri, atque omnino deſtrui, & aliis materialibus modis impediri; ut in pueris, dormientibus, mentecaptis, deliquio, aut delirio occupatis.

Mors ergo hominis, quæ conſiſtit in voluntaria Animæ a ſenſibilibus ſeparatione, & elevatione, perfectior, ac vera vita eſt ejus Animæ, quæ eſt contemplatio rerum divinarum, & intelligibilium, qualis eſt ipſa Anima ſui ſibi repræſentativa. Unde Socrates in *Phædone* philoſophiam ajebat eſse continuam Philoſophi mortem: nec propterea mortem corporis eſse timendam; ſed verius Sapientia ipſa incarnata idem paſſim inculcat (Matth. 10.) divinis illis verbis: *nolite timere eos, qui occidunt Corpus, Animam autem non poſſunt occidere*.

POSITIO XVIII.

§. 65.

P*Erfectio vitæ hominis legem agnoſcit aliam ab ea, quæ eſt ſolius ejus Animæ, aut ſolius ejus Corporis.*

Vita hominis, quatenus per actus ſubſiſtit, omnino ab eſsentia Animæ, & eſsentia Corporis ſimul deter-

determinatos, perfectionem ſuam agnoſcit a Lege Dei prorſus diverſa ab ea, a qua perfectio pendet, aut Animæ, aut corporis ſeorſim ſpectati: qua aliud eſt actuandum ex voluntate Dei prorſus diverſum.

Ex quo patet, quod vita hominis, ſeu actuoſitas ejus, aut actualis eſſentia, & natura ſpecies eſt determinata entis, cujus perfectio ab alio actuando determinatur, quam ab eo, quod ab Anima tantum, aut a corpore eſt actuandum (§. 54.).

POSITIO XX.

§. 66.

Legi nimirum ſubjicitur Divinæ providentiæ, ab ea quæ naturalis eſt ſolius Animæ, aut ſolius Corporis diverſæ; quæ cum Animæ, tum Corporis naturales vires accidentaliter modificare, aut immutare, vel augere debet, ut una ſimul, atque uniformiter agant ad illud tertium actuandum, ſeu obtinendum, quod neque ab Anima ſola, neque a Corpore ſolo actuari, & obtineri poteſt. (§. 64.).

Porro hujuſmodi lex ſpecialis eſt providentia Dei erga homines, qua ipſum Hominem non ſolum quoad Animam, verum etiam quoad Corpus, ut ſimul agant uniformiter ad perfectionem utriuſque ſimul obtinendam, conſervat (§. 56.), ac dirigit; & per apta media, ſeu per ſupernas poſitivas mentis illuſtrationes, vel intimas, inſpirando, vel extimas, per

L 2 mate-

materiale verbum ſenſibus percipiendum , forinſecus intonando ; & voluntatem ipſam rationalem , ſeu inclinationem Animæ ad proſequendum bonum intelligibile ſibi proprium (§. 62.) auget , & appetitum quoque ſenſitivum oblectat , & allicit ad actus moralium virtutum , qui proprii ſunt ipſius Hominis (§.64.).

POSITIO XXI.

§. 67.

Upernaturali ergo , atque ſuperaddito fidei lumine infuſo Animam illuſtrare debet ad cognoſcendum illud tertium bonum , ſeu finem totius hominis , quod neque per ſolas ſolius Animæ , neque per ſolas corporis vires naturales cognoſci poteſt ; & ſpe facile obtinendi prævisi , ſeu præcogniti dicti boni inclinationem ejus excitare ; & amore erga ipſum obtinendum bonum inflammare ad id , quod eſt ab homine actuandum , ut ſuum illum ultimum finem obtineat .

Deus ſiquidem lege poſitiva in hominum animis intimata , ſecundum quod dicitur in Pſal. 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine , *medium ſtatuens inter actus utriuſque partis hominis ſibi oppoſitos , eſſentiam determinat , ſeu perfectionem virtutis , ſive actus moraliter virtuoſi , qui proprius eſt totius hominis .*

Fide nimirum manifeſtando , quid ſit ab homine actuandum , vel obtinendum ſupernaturale , *qualis eſt ipſa hominis vita* (§. 59.) , ſupernam felicitatem

cum

Digitized by Google

cum Animæ, tum corporis, ubi ad ſuum principium, & ultimum finem redierint, ex cujus viſione, & fruitione cum ipſo conjungantur, & beatificentur, poſtquam vitam duxerint in continua harmonia, & tendentia ad ipſum cognoſcendum, & glorificandum cum ſenſibus, tum intellectu, ſive utraque ſua parte cum inferiore, tum ſuperiore:

Spe infuſa ex detecta felicitate, & certitudine poſſibilis hujuſmodi viſionis, & conjunctionis, dummodo virtutes unà ſimul exerceant morales:

Et charitate pariter ipſi Animæ infuſa, ſeu amore puro, quo voluptatem ipſa percipiat ex bono, & felicitate ipſius Dei amici, & ſui, ac ceterarum Mundi partium cum ordine ad ipſum Deum.

Corporis vero ſenſitivas etiam, atque affectivas facultates aliter afficiendo jucunda, aut moleſta ſenſatione; ut quæ ad illud actuandum vere faciunt, ab eo ſecernat, quod non ita: qua equidem jucunda ſenſatione, ſeu affectu delectationis in corpore inde orta *totus homo bonum etiam ſibi, & quoad ſe exercitium virtutis percipiat: & ideo tandem velit* (§.60).

POSITIO XXII.

§. 68.

ANima, quæ per eſſentiam imago Dei eſt; per dominium, quod habet ſupra ſuum corpus, & Mundum, & per ſpecialem dictam providentiam Dei, quatenus

tenus ad obtinendum bonum , ſeu felicitatem ſui corporis & totius Mundi tendere poteſt, & debet, *ſimilis eſt Deo*. Similitudo ergo talis ei convenit *vi unionis*, quam habet ſimul cum ſuo corpore immediate, & eo mediante cum Mundo univerſo; ſeu *quatenus eſt homo*; ergo per illud, quod eſt ab homine actuandum, & per morales potiſſimum virtutes, quæ actus ſunt utriuſque ejus partis (§. præc.). Ita colligere eſt ex Gen. 1. v. 26. ubi: *faciamus*, dicit Deus, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, & ſtatim addit: & *præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ*, &c. & cap. 4. ad Cain ait, *Subter te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*.

Et enim vero, cum Anima vi unionis, quam ex libera Dei voluntate habet cum ſuo corpore, & adſpectabili Mundo, Domina ſit (§. 58.) ejus, ac Moderatrix: ſimilis eſt Deo, etiam quatenus ad extra, ſive in alia a ſe diverſa & diſtincta vim ſuam exerere valet, in corpus nempe ſuum, & Mundum ipſum ſibi inferiorem, atque adeo ſubjectum. Cum autem nonniſi providentia ſpecialis Dei erga hominem ſit, quæ (§. 67.) ipſam dirigit, ac gubernat mediante illuſtratione intima, & exteriori doctrina, ad hoc ut actu, & de facto dominium hoc ſuum exerceat ad legem poſitivam illam ſupradictam (§. cit.) actuandam, qua morales virtutes ſtatuit, quibus corpus ſuum ab imperfectionibus purificet, ſeu actus ejus cohibeat, aut impediat, & moderetur (quales in eo accidentales ſunt, & per

eſſen-

eſſentiam ſuam (§. 46.) magis imperfecti, pro ratione nempe materiæ, & compoſitionis, quæ in eo eſt), deordinatas nimirum ſenſationes, atque affectus perfectioni, atque fini hominis oppoſitos, ut morales virtutes agat, *& ipſum corpus ſuum ſecum ad ultimum ſuum finem, & beatitatem ducat, ac deferat* (cujus ipſum alioquin beatitatis incapax foret, cujus nulla propria, & eſſentialis vita eſt, nulla ſimplicitas, & indefectibilitas, niſi pro ratione ſubſtantiæ, quæ ſimplicium eſt propria (§. 52.), minime autem ejus, quatenus corpus eſt, & materiale compoſitum) *Animæ adnexum, per quam & ipſum ſubſiſtit, a qua ultimum ſuum accipit complementum*: patet inde maniſeſtiſsime, quod *Anima, quæ ceteroquin per eſſentiam ſuam imago Dei eſt, nonniſi per dominium iſtud, quod habet ſupra ſuum corpus, & Mundum, quod per providentiam Dei exercere poteſt ad obtinendum bonum, ſeu felicitatem ſui corporis, ſui, & totius Mundi, ſimilis eſt Deo. q. e. d.*

POSITIO XXIII.

§. 69.

A*Ctus hominis tantum, ut ſunt ab utraque ejus parte determinati, liberi ſunt, eique imputantur.*

Porro cum actus hi omnes hominis, qui vulgo dici ſolent humani, quales ſunt moralium virtutum, nullam de ſe determinatam habeant eſſentiam, ſed

cun-

contingentes ſint, atque ſemper mutabiles (§. 61.), & per unionem Animæ, ac corporis determinentur, *quamdiu placet Animæ*, juxta ſupradictam legem divinæ ſpecialis providentiæ eos ponere: *Anima libere agit in iis ponendis, ſeu quando eos vult, ponit*; quippe quæ per propriam eſſentiam ad nullum eorum determinata eſt. Quia enim Anima *per eſſentiam vis eſt ſuimetipſius intuitiva*, per eam tantummodo determinatur ad cognoſcendum ſeipſam unum verum bonum *in genere*, & cætera realiter extra ipſam exiſtentia, quæ non ſunt illud unum quod eſt ipſa, ideſt unum, & multa, verum, & falſum, bonum, & malum in genere, ſeu perfectum, & imperfectum in ſe (§. 37. & 62. & ſeqq.), *vi unionis* autem bonum cognoſcit *in individuo tale* verum, vel apparens quoad ſe, cujus ratione determinatur ejus tendentia, aut inclinatio ad bonum volendum, ex lege univerſali naturæ, qua conatur ſe ipſam conſervare, & magis perficere (§. 47. 48.).

Ad bonum vero corporis, atque adeo ſingulare & individuum, quod eidem ineſſe poteſt vi unionis cum ipſo corpore, cum tale non ſit per eſſentiam (§. 61.), ſeipſam nequit Anima determinare, niſi per ſpecialem, & actualem concurſum, ac providentiam Dei, qua bonum illud eidem inſpiretur tale ſibi per fidem, poſſibile repræſentetur per ſpem, & appetibile per charitatem (§. 65. & ſeq.) &c.

PO-

POSITIO XXIIII.

§. 70.

I*Nfluxus phyſicus cum actio ſit ſimplicis in ſimplex, & per medium ipſum ſimplex, cujuſmodi eſt actio ipſa omnis, perficiatur; non eſt prorſus inintelligibilis, & inexplicabilis.*

Cum entis compoſiti, quâ talis, nulla ſit proprie dicta ſpecifica eſſentia, ſeu nulla vita, nulla naturalis, ſeu primigenia natura, nulla ſubſtantialis forma, nulla ſubſtantia, quæ nulla eſt, quæ nihil agit (§. 3.); & tota ſubſtantialitas ejus a ſimplicium ſubſtantia (§.10.) derivetur; tota activitas a viribus ſimplicium, quæ quatenus ſimul coexiſtunt ad idem aliquod actuandum, unum conſtituunt, ſeu confuſe repræſentant ens compoſitum; & pro diverſo eo, quod per ipſum actuandum eſt, ſpecie ab alio compoſito (§.11.& 22. & ſeq.) diſtinguatur, ut ipſa impenetrabilitas, extenſio, magnitudo, motus, & cetera, quæ in compoſito, ſeu in corporibus ſenſu confuſe percipiuntur, phænomena ſint virium (§.53.), ſeu ſubſtantiarum ſimplicium: dum *Anima vi unionis cum corpore in ipſum agit corpus*, & viciſſim *corpus*, *vim eam Animæ limitando*, *ſeu determinando*, *in ipſam agit Animam*, *actio quædam datur mutua ſimplicis in ſimplex*. *Atque adeo unio Animæ*, *ac corporis non eſt prorſus inintelligibilis*, *aut inexplicabilis* (§. 17.) (g).

 Ita

(g) *Intelliges profecto ex his, quæ ſupra* (§.17.) *de vi*

Ita porro actio explicatur compoſita ac ſenſibilis in corporibus (quæ *motus* §. 23. dicitur) reſultans ex mutuo nexu, & unione plurium ſimplicium. Ni-

de vi perceptiva ac quaſi ſenſitiva ſingulorum Mundi ſimplicium Elementorum; & potiſſimum de organorum ſenſuum, imaginem externorum materialium objectorum in ſe recipiendi facultate generatim (§. 64.) *demonſtravimus. Ubi etiam* (*adnotat. f. ad dictum* §.) *S. Thomæ auctoritate triplicem modum adſtruimus, quo ſimilitudo rerum externarum eſt in ſenſu. Non enim aliunde aliquid eſt cognoſcitivum, & quidem vel perceptivum, vel ſenſitivum, vel intellectivum, niſi inquantum præter formam, ſeu vim propriam* natum eſt, *ut D. Thomas dicit, ſive per ſuam naturam determinatum & aptatum eſt ad recipiendum in ſe formam, ſive ſpeciem & repræſentationem alterius, vel confuſe omnino, vel clare, vel etiam diſtincte, vel omnino adæquate, cujuſmodi profecto ſunt ſimplicia omnia per eſſentiam, ſeu naturam ſuam ſuimetipſius repræſentativa. Ut enim c. 1. p. q. XIIII. art. 1. in corp.* „ *idem S. Doctor docet*: Immaterialitas *alicujus rei eſt* „ *ratio, quod ſit cognoſcitiva, & ſecundum modum im-* „ *materialitatis eſt modus cognitionis* (*ſive potius vis co-* „ *gnoſcitivæ*). Unde in 2. de anima dicitur, *quod* „ *plantæ non cognoſcunt* (*diſtincte intellige, non aliquo* „ *modo confuſe*) *propter ſuam materialitatem, ſenſus au-* „ *tem cognoſcitivus eſt* (*rei tantummodo individuæ ac* „ *ſingularis clare*), *quia receptivus eſt ſpecierum* (*i. e. inſi-*

Nimirum, quæ actio in corporibus, aut corpuſculis quibuſcumque ſenſibilibus & materialibus compoſitis apparet, & dicitur *motus*: in ſimplicibus tandem eorum elementis in *repræſentationes*, *variaſque*

---

infinitarum motus diverſarum modificationum in nerveis fibris, quibus inſtruitur, veluti concentus varii in tenſis „ *fidibus & harmonice diſpoſitis muſici organi*) *ſine ma-* „ *teria* (*quippe per motum*), *& intellectus adhuc magis* „ *cognoſcitivus, quia magis ſeparatus eſt a materia &* „ *immixtus* (*i. e. purior eſt actus, & amplior ac ſublimior vis a gradibus inferioribus ac limitibus, ſeu imper-* „ *fectionibus minus coarctata*), ut dicitur in 3. de ani- „ ma. *Vide etiam adnot. c. ad* §. 52.

Equidem in demonſtratis habeo, quod, ut idem S. A. D. docet, quo res aliqua eſt ſimplicior, & eminentior & purior actus, *eo eſt a gradibus, & determinationibus inferioribus* (*quæ imperfectiones vulgo dicuntur, & materialitates rerum*) *magis abſoluta & ſecreta, & amplior eſt vis, & magis realis, & immaterialis, ut dicitur* (*cum materialitas in limitationibus formæ, ſeu virium concipiatur* §. 25. *conſiſtere*), *& magis ad infinitatem* (§. 19.) *atque adeo activitatem Dei accedit. Unde cum nulla eſſe poſſit ſubſtantia* (*quippe quæ haud eſt* §. 5. *nihil, ſi ſimplex ea ſit, quæ ſola eſt* §. 49. *realis*), *quæ ſaltim ſeipſam, ſeu ſpecimen ſui non exhibeat & repræſentet* (§. 3.), *atque adeo vi ſaltim ſui* (§. 6.) *repræſentativa non ſit prædita: quæ vis in materia apparet*

(§. 25.)

mutuas ſui modificationes, ſeu determinationes & limitationes reſolvitur. Cum enim unumquodlibet ex his ſimplicibus vis ſit ſuimetipſius indeſinite repræſentandi, atque in hoc continuo conatu vis ea conſiſtat, qui initium actionis continet & finem: unumquodlibet eorum, pro eo quod in *ipſis reale* eſt ac poſitivum, *Mens* eſt vel veri nominis, ſi conatum ejuſmodi habet, cujus veſtigia manent (§. 36.), & recordationi, ſive repræſentationi ſuimetipſius ſibi inſerviunt; vel *momentanea*, ut ita dicam, *Mens* eſt, cujus conatus nonniſi ad momentum perdurat, & per continuas aliorum (§. 17.) repræſentationes, & retroactiones determinatur, & modificatur, ſive finitur & limitatur *pro eo quod ipſi deeſt*, & in ceteris ſimplicibus viribus, ſeu elementis ineſt, ac repræſentatur (§. 17. adnot. a).

Un-

(§. 25.) reſiſtentia, *& omnium minima concipitur, quæ eſſe poteſt in rebus creatis, in* vegetativa *plantarum vi, quæ ſine ſtructura partium organicarum* (§. 30.), *adeoque & materialium haud eſſe poteſt, eminentius præcontinetur: &* vegetativa, *quæ pure eſt mechanica, in* animali, *cujus ſtructura machina eſt ſtatico = hydraulica, nempe ex fluidis ac ſolidis partibus compacta, ac veluti muſica organa fidibus nerveis inſtructa ejus ſenſus* (§. 31.): *&* animalis *denique ejuſmodi, quæ repræſentationes aliorum extra ſe valet in ſe percipere, pariter præcontinetur in* rationali, *ſeu intellectuali humana mente, ac limita-*

Unde & iſtud quoque facile eſt intelligere, qui fiat nempe, ut Deus, &ſi qualitates, quæ corporum ſunt propriæ, & duo præcipua, quæ in iis ſunt *phænomena ſubſtantiata*, *extenſionem* nempe & *motum* neque in ſe habeat, neque immediate in ipſis corporibus producat, neque eodem plane modo, quo nobis apparent, intelligat: *juſſu* tamen *voluntatis ſuæ*, quo ſimplicia omnia procreantur, atque mutuo nexu illico coordinantur; ſimpliciſſimo hoc unico eodem actu ſuo mediante jubeat exiſtere, & mediantibus iis eiſdem ſimplicibus nobis confuſe per ſenſus repræſentari. Atque adeo S. Hieronymus *in cap.* 8. *Matth.* ſcitiſſime ait, quod *omnes creaturæ ſentiunt Creatorem, non erro-*

---

mitato ſpiritu, cujus eſt non tantum repræſentationes ejuſmodi in ſe percipere, verum etiam appercipere, *ſeu advertere, quod percipiat. Sed & hæc vis, quæ ideo* intellectiva *dicitur, vel intuitiva* (§. 16.), *vel intus & in ſe lectiva, ſeu repræſentativa ſui ſibi, & aliorum extra ſe, quatenus in præſenti ſtatu animæ ineſt humanæ, ſitu corporis ſui in univerſo* materialiter, *ſive mediate*, formaliter *vero, ut ajunt, ſive proxime per ejuſdem ſenſus limitata eſt: Unde &* adhuc ſimplicior & purior & amplior eſt in Angelis, *quorum intellectiva vis actualis, ſeu cognitio & intellectio nec a corpore veri nominis ullo determinata, aut limitata eſt, nec ab ullis ſenſoreis materialibus organis dependet; & denique* in ſpiritu inſelectivo infinito & abſolute ſimplici, qualis eſt Deus, prorſus abſoluta & illimitata eſt.

errore hæreticorum, qui omnia putant animata, ſed majeſtate Conditoris, quia, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt. Confer dicta adnot. c. ad §. 52. (*h*).

POSITIO XXV.

§. 71.

Quinimo nec ipſa Creratio, quæ actualitatem tantummodo, ſive determinatam, per propriam deſtinationem (§. 54.) *obſervabilem, aut ſenſibilem* (§. 9.) *exiſten-*

(h) *Deſinant jam ergo Philoſophi, dum rerum naturalium præſertim compoſitarum, ut Homo ipſe eſt ex Anima conſtans, & Corpore in uno coordinatis, coexiſtentibus & agentibus, eſſentiam, aut naturam perſcrutantur, novas, & confictas a ſua imaginatione hypotheſes in philoſophiam introducere. Cum hoc agere idem ſit, ac monſtrare, quomodo ideæ divinæ multiplici confuſione degenerent in humanas, & ſic intelligibilis, & perfecta Mundi adſpectabilis repræſentatio in mente divina abeat in imperfectam, & ſenſibilem: hoc eſt Mundus intelligibilis degeneret in ſenſibilem. Verentur ſcilicet, ne dum in rebus phyſicis, nempe corporeis & compoſitis, ſi ſuperis placet, explicandis verſantur, ad aras, ut ipſi ajunt, confugere videantur: cum tamen hoc ſit potius reapſe philoſophiam naturalem ad ultimas reducere rationes, & prorſus a priori phænomena (inter quæ & ipſas hominis actiones referre ſoleo) demonſtrare.*

ſtentiam ſimplicibus intelligibilibus & poſſibilibus tribuit, inintelligibilis, & inexplicabilis prorſus dicenda eſt.

Enimvero cum ipſa ſimplicia nihil ex ſe ſint, ſed tota illorum ſubſtantialitas, ſeu vita a Deo, & in Deo ſit, & per modos varios, quibus perfectiones divinæ limitari poſſunt, intelligibilem habeant eſſentiam; per finem vero, cui ordinantur ac deſtinantur, determinatam obſervabilem, aut ſenſibilem perfectionem, & ſpecificam a ſe invicem diſtinctam actu exiſtentem eſſentiam, ſeu naturam; realem denique exiſtentiam (§. 52.) per liberam eandem Dei voluntatem: Nihil ex ſeſe, quatenus poſſibilia ſunt, Deo reſiſtere poſſunt, quin a Deo creentur, & Mundus ipſe totus inde conſtituatur (§. 14.). Quinimo cum tota illorum perfectio poſsibilis, & exiſtibilis jam antea in Deo eminenter, ac virtualiter contineretur: *ipſa ſimplicium, & Mundi creatio non eſt plane inintelligibilis, neque prorſus inexplicabilis* (i).

Equi-

(i) *Nimirum omnis actus Dei ad extra, quatenus ad terminum, ſive ad opus quodcumque tendit extra ſe, ſive a ſe diſtinctum ponendum, qualis eſt vel ipſa creatio*, extenſive, *ut ita dicam, ſive terminative (h. e. quatenus opus Dei eſt, non quidem Dei actio) definitus, ac determinatus eſt, non indefinitus, aut infinitus: qualis tantummodo actus eſt ejus immanens, eſſentialis, & neceſſarius, & naturalis ad intra, quo ſe ipſum objectum infinitum* (§. 52.) intuetur, & diligit: *unde*

ejus

Equidem haud diffiteor hoc plane finitæ ac limitatæ menti noſtræ eſſe impervium, quî fiat nempe, ut cum creaturæ ab actibus Dei per ſapientiam & voluntatem ſuam determinatis ac limitatis ad extra, ex mere poſſibilibus, indefinitis, & intelligibilibus, actu eo ſic determinato ac limitato donantur, & reales fiunt; extra Deum, veluti lumen de lumine ipſæ procedentes, Dei ipſius eſſentiam neque multiplicent, neque per partes accipiant: Sed *per oppoſitionem tantum*, quam, quâ ipſæ finitæ, ad Deum

ejus terminus in ſe manens, non poteſt non eſſe infinitus: quo quidem ad extra non exit ullo modo Dei natura, ſed tantum producitur alia Perſona *(ibi) a Patre, tamquam a ſuo principio diſtincta. Determinationem vero illam, ſeu determinatam magnitudinem, vel intenſionem actus Dei ad extra, nonniſi a ſemetipſo, i. e. a ſapientia ſua fines dictante, & a voluntate, & libera actione ſua habet, qua extra ſe per quoſdam effectus exire per potentiæ, ac virtutis ſuæ non omnis quidem, ſed veluti quamdam emiſſionem, ſeu irradiationem ſponte, ac libere volens Deus creaturas ad extra ponit: ſive ex nihilo taliter potius, quam aliter determinatas ac limitatas facit, & ex mere in ſuis ideis* poſſibilibus ad actum, *i. e. per propriam ſingularem earum activitatem* determinatam exiſtentiam, ſive eſſentiam, & naturam, reducit: *quæ tamen non naturam Dei in ſe habent; nempe Deum ipſum per partes non accipiunt, ut aliquid reale & actuale ſint;*

Deum infinitum, & ad cæteras habent creaturas finitas , totidem ſint *ſubjecta diſtincta* , quot ipſæ ſunt creaturæ cum a Deo , tum ab aliis creaturis diverſæ . Hoc plane eſt creationis myſterium incomprehenſivum , creaturis omnibus prorſus abſconditum ; non diſſimile illi , quod credimus & confitemur atque adoramus de una Dei, ac ſimpliciſſima impartibili eſſentia & natura tribus ſubſiſtente divinis Perſonis, qui modus triſubſiſtendi Dei a nullo plane omnino creaturæ modulo , quo ea ſubſiſtit , ullo unquam tempore comprehendetur (*k*).

N EX-

le ſint ; ſed ceu lumen de lumine efficienter productum , aut totam ejus naturæ imaginem (§. 55.) , *& ſimilitudinem* (§. 68.) , *aut quamdam ſimilitudinem dumtaxat in eo poſitam , quod ipſæ non ſecus ac Deus* , quidquam agere valent (§. 9.) , *Deum ipſum imitantur & repræſentant . Unde cum Deus ipſe* utpote infinitus , *per ſe ſolus* omnia *poſſit agere , quæ contradictionem non involvunt ; creaturæ* utpote finitæ , *& ſpecie inter ſe diverſæ ſive exiſtentes , ſive tantum poſſibiles* , quidquam *tantum illorum* unaquæque *agere poteſt , aut agit : illud nempe ad quod actuandum ſunt natæ , ſeu deſtinatæ , & a Deo factæ , ſive in propria cujuſque ſua obſervabili ſpecie* (§. 54.) , *ſeu natura , & perfectione (ibi) conſtitutæ .*

(k) *Enim vero quamvis in Deo nihil ſit prorſus a ſe diſtinctum , ut vel ex ipſa ejus infinitate , & ſimpli-*

pli-

EXCURSUS X.

In quo demonſtratur, quid vere, & realiter eſſentia ſit, & natura rerum præſertim ſimplicium, & in quo nexus earum conſiſtat.

POSITIO XXVI.

§. 72.

ATque hinc facile eſt intelligere diſcrimen, quod ſupra ſtatuimus intercedere inter ſubſtantiarum ſimplicium varia genera, in eo conſiſtens, quod ſimplex unumquodque ſeipſum, pro eo quod eſt diverſo modo, ſive infinito, ſive finito, ſive indefinito, repræſentare valet, ut proinde ſimul natura, ſive determinata eſſentia cujuſque ſimplicis pateat.

Ani-

---

plicisſima natura a priori conſtat: nec ipſa ejus exiſtentia, nec omnimoda ſubſiſtentia, ſeu triplex ejus[1]*, ut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, exiſtendi modus, quatenus nimirum triplex ea ſubſiſtentia ſimul conjuncta eſt cum eſſentia, & ipſa eſt una exiſtens Dei eſſentia & natura, ſeu ut olim S. Maximus in Schol. ad S. Dionyſ. de div. nom. cap.* 1. *ajebat,* Monas *eſt, &* Unitas Triſubſiſtens: *nihilo ſecius tamen, quatenus tres illi modi eſſentiæ Dei ſubſiſtendi in eſſe ſuo proprio tali, & non alio omnino determinato, v. g. Patris, aut Filii,*

Anima ſcilicet *humana*, ut jam ad ſingularia deſcendamus, quæ utpote in ſe ſimplex, una eſt ex variis ſubſtantiis (§. 52.) a Deo creatis, cum, ex ſupra (§. 55.) dictis, vis ſit quædam ſimplex, ac per ſe ſubſiſtens, ſuimetipſius pro eo quod eſt omnimode a Deo determinatum, repræſentativa, &

N 2 qui-

lii, aut Spiritus Sancti ex fecunditate eſſentiæ, ſeu naturæ, quâ principium & fons eſt totius Trinitatis, procedunt, ſibi invicem opponuntur; *& ſic coordinati a ſe invicem determinantur; & ideo quamvis ratione eſſentiæ, quæ illis eſt communis, ſint infiniti, & ipſe idem ac unus Deus: realiter tamen diſtinguuntur, & tres ſunt divinæ determinatæ Perſonæ. Ita pariter ad extra, quæ de divina eſſentia, & attributis* per divinam voluntatem, & potentiam *participant, & quantum quidem ſibi placuit diſtribuentem ſingulis, prout vult, procedentes creaturæ finitæ, atque omnimode determinatæ; ſtatim ac ex mera poſſibilitate, qua eminenter, vel virtualiter (ſeu indefinite) in Deo continebantur*, juſſu Dei *fiunt exiſtentes*: ipſo eo actu, quo ſimul coordinantur, & ipſo ſitu ſuo, atque ordine ſimultaneo, ac ſucceſſivo, *quem cum ceteris coexiſtentibus, & ſucceſſivis*, determinatum obtinent, ſibi invicem opponuntur, & a ſe invicem, & a Deo ipſo, extra quem jam actu exiſtunt, realiter per proprium ſuppoſitum diſtinguuntur, *determinantur, atque limitantur; ſive determinate in ſe fiunt repræſentabiles, adeoque & obſervabiles, aut ſenſibiles* (§. 51. adn. c.).

quidem etiam ſibi, ſive intuitiva ſui; *jure ac merito limitata imago Dei eſt*, ut ſupra etiam diximus, *ſecundum totam ejus eſſentiam, limitato nempe modo Deum ipſum, ſive actum ejus omnem cum ad intra, tum ad extra repræſentans*, ac proinde omnia, quæ in eo ſemper, ac neceſſario actu inſunt infinita, & intelligibilia: Unde intelligibiles quoque Dei perfectiones omnes limitato modo in ſe continet, & repræſentat (§.57.), intellectum, voluntatem, memoriam, ſive intimum ſui ſenſum, potentiam, indefinitam (quantum in ſe eſt) magnitudinem, ſive amplitudinem, inviſibilitatem &c.

Cum autem quodlibet *ſimplex alius generis*, quod etiam per ſe vera ſubſtantia eſt, ex limitationibus perfectionum, ſive realitatum Dei oriatur; intelligibilem eam perfectionem, ſive realitatem Dei limitato modo in ſe habet, & repræſentat, quæ illius perfectionis eſt propria, ex cujus limitatione exiſtit. Unde cum ex indefinita, ſive potius infinita magnitudine, ſeu immenſitate, & activitate infinita Dei, ſeu abſoluta vi, & vita, & omnipotentia, quæ tota eſt ſimplex actus, determinetur: *quodlibet*, inquam, *ſimplex vivum, activum, & indefinite magnum eſt* (quatenus in ſe ſpectatur); quamvis ipſum non ſecus atque Anima, per ordinem ad cetera ſimplicia ſimul coexiſtentia, permanentia vel ſucceſſiva (§. 59.), quibuscum in Univerſo connexum eſt, per locum, & tempus (§. 32. 34.), atque adeo corpori alicui in Mundo univerſo exiſtenti unitum,

& om-

& omnimode determinatum exiſtat.

Horum autem, & potiſſimum *Animæ vis*, ſeu *actuoſitas* in eo principalius *ab infinita Dei vi*, *&* *actuoſitate differt*, quod ſicut hæc a ſe exiſtit, & ab ea ceteræ vires actum diſtinctum, ſeu in ſe omnimode determinatum habent, pro menſura, & ratione, qua ea ſeipſam determinat (§.52.) in volendo, & agendo; ita iſtæ *pro tanto* menſuratæ, & omnimode determinatæ, *actum ipſum determinatum*, ſeu *naturam*, vel *ſenſibilem*, aut *obſervabilem contingentem exiſtentiam* habent. Et hoc quidem non ſolum quantum ad illarum ſpectat creationem, ſeu actualem extra poſsibilitatem, exiſtentiam, & conſervationem; verum etiam in ceteris ipſorum actuum etiam ſupernaturalium in individuo, ad quos Deus per generalem, vel ſpecialem providentiam (§.48. & 66.) ſive naturaliter, ſive ſupernaturaliter concurrit. Ex oppoſita autem ratione, *cum Deus*, utpote *a ſe exiſtens*, *nullum habeat ordinem*, neque eſſentiæ *abſolute*, neque exiſtentiæ *hypothetice neceſſarium ad finita entia*, quæ nonniſi per liberam ejus exiſtere debent voluntatem: *ejus Magnitudo*, ſive *omnimoda determinatio* non indefinita in ſe eſt, ſed abſoluta, & infinita, neque adeo a magnitudine ceterorum exiſtentium extra ipſum, ſive ſimultaneorum, ſive ſucceſsivorum definitur, aut determinatur. Sed ipſa per ſe, *ac a ſe exiſtens menſura eſt*, *& determinativa vis*, *& magnitudo finitarum magnitudinum*, *& virium*

om-

omnium aliorum (*l*).

POSITIO XXVII.

§. 73.

INdefinita magnitudo, ſive actuoſitas Animæ a magnitudine Corporis, quâ tali definita, in quo exiſtit ſive magno, ſive parvo, ſive involuto, ſive explicato, imme-

(l) *D. Thomas q.* XVIII. *cum a.* 4. *probaſſet: quod omnia in Deo ſint Vita: ſic difficultatem* „ 3. *promovet: Sicut dicit Auguſt. in lib. de vera Relig. cap.* 29. *Subſtantia vivens eſt melior qualibet ſubſtantia non vivente. Si igitur ea, quæ in ſeipſis non vivunt, in Deo ſunt Vita, videtur quod verius ſint res in Deo, quam in ſeipſis.*

Hanc autem difficultatem ita ſolvit: Ad tertium, inquit, dicendum, quod ſi de ratione (ſive eſſentia) rerum naturalium non eſſet materia (ſeu limitatio, & omnimoda ejus, quod ſunt determinatio), ſed tantum forma (ſeu vis pura, ſimplex, & ab omni gradu & limitatione abſoluta) omnibus modis veriori modo eſſent res naturales in mente divina per ſuas ideas, quam in ſeipſis. Propter quod Plato poſuit, quod homo ſeparatus (i. e. in abſtracto & ab omnibus gradibus individuantibus abſolutus) erat verus homo, homo autem (qui ſolus in individuo & in concreto §. 71. adn. i revera extra

mediate determinatur, ſeu limitatur, mediate vero a magnitudine totius Mundi. Indefinita vero magnitudo, ſive actuoſitas aliorum ſimplicium ex ſcopo, ſeu fine, ad quem actuandum unumquolibet natum eſt, omnimode determinatur.

Ni-

„ *extra Deum exiſtit) materialis, eſt homo per participatio-* „ *nem (§. 52.). Sed quia de ratione rerum (quæ non, ſicut Deus, id ſunt ſimul, quodcumque ſimul eſſe poteſt)* „ *eſt materia (i. e. aliquid tantum eſſe determinate &* „ *non ultra §. 54.), dicendum quod res naturales verius* „ *eſſe habent (ſive eſſentiam §. eod.) ſimpliciter in* „ *mente divina, quam in ſe ipſis, quia in mente divi-* „ *na habent eſſe (intelligibile, quod dumtaxat eſt rea-* „ *le, utpote diſtincte cognitum, &) increatum, in ſeipſis* „ *autem eſſe (tantummodo ſenſibile, vel quocumque alio* „ *determinato modo §. 49. apparens, &) creatum. Sed* „ *eſſe hoc (omni modo determinatum) utpote homo, vel* „ *equus, verius habent in propria natura (per ipſum nempe iſtud, ad quod §. eod. ſunt nata & deſtinata,* „ *aut facta), quam in mente divina, quia ad veri-* „ *tatem (& realitatem) hominis (vere extra Deum &* „ *in ſe exiſtentis) pertinet eſſe materiale (& ſubjectum* „ *omnimode §. 71. adn. i. in ſe determinatum) quod* „ *non habent in mente divina. Sicut domus nobilius eſ-* „ *ſe habet in mente artificis, quam in materia, ſed* „ *tamen verius dicitur domus, quæ eſt in materia, quam* „ *quæ eſt in mente, quia illa eſt domus in actu, hæc* „ *autem domus in potentia.*

Nimirum indefinita Animæ magnitudo a magnitudine compoſiti corporis, in quo exiſtit, definitur, ac limitatur, ut non minus ea in corpore magno, quam in parvo ſit, & in corpore perfecte organico, quam in ſemine involutarum partium organicarum ſtamineo (§. 55.). Indefinita vero actuoſitas & magnitudo ſimplicium ad materiale Corpus compoſitum efformandum ordinatorum ex ſcopo, ſeu fine, ad quem actuandum in quolibet actuali compoſito ſunt ordinata, limitatur (§. 54.), atque omnimode determinatur *(m)*.

PO-

(m) *Plotinus lib.* 2. *de eſſentia Animæ hæc de Animæ indefinita magnitudine habet:* „ *Profecto natura* „ *hæc partibilis ſimul, atque impartibilis, quam eſſe di-* „ *cimus Animam, non ſic una eſt, quaſi quoddam con-* „ *tinuum aliam partem, aliamque habens, ſed partibi-* „ *lis quidem eſt, quoniam partibus omnibus ejus, in quo* „ *eſt, ſeipſam communicat, impartibilis autem, quoniam* „ *tota eſt in omnibus, & in qualibet portione ipſius eſt to-* „ *ta. Quicumque vero hoc plenius inſpicit, magnitudi-* „ *nemque, & poteſtatem Animæ rite conſiderat, intelli-* „ *get quam divinus, quam ut mirandus Animæ ſit the-* „ *ſaurus, atque naturarum ſuper ceteros theſauros exi-* „ *ſtentium. Quippe cum magnitudine vacans, univerſæ* „ *magnitudini adſit. Et alicubi exiſtens, ibi iterum non* „ *exiſtat (corpori nimirum, aut extra ipſum): non* „ *alio quodam (a ſe diverſo) ſed prorſus eodem (per*

„ *illud*

POSITIO XXVIII.

§. 74.

Utraque vero cum Animæ, tum aliorum ſimplicium magnitudo, & actuoſitas in ſe mutabilis eſt, ſeu alia poteſt eſſe, ac alia, prout ad alia diverſa poteſt ordinari, ut contingenter, & taliter determinata exiſtat.

O Utra-

„ *illud nempe idem, quod ipſa eſt): adeo ut & diviſa ſit*
„ *in partes, & iterum non diviſa. Potius autem ipſa*
„ *neque diviſa ſit, neque diviſa fiat. Manet enim ſecum*
„ *ipſa tota, ſed circa corpora dicitur eſſe diviſa, quippe*
„ *cum corpora nequeunt diviſibilitate propria (h. e. ipſa*
„ *compoſitione, qua corpora eſſentialiter ſunt) indiviſi-*
„ *biliter eam accipere. Quo efficitur, ut partitio non*
„ *animæ quidem paſſio ſit, ſed corporum. Et paulo poſt:*
„ *hoc igitur, inquit, eſt quod divine, licet obſcure,*
„ *dicitur a Platone hunc in modum: Mundi Artifex ex*
„ *eſſentia impartibili, eodem ſe modo ſemper habente, &*
„ *eſſentia (compoſita), quæ circa corpora fit partibilis,*
„ *tertiam quamdam ex ambobus commiſcuit eſſentiæ ſpe-*
„ *ciem: Eſt igitur Anima* unum *hunc in modum, atque*
„ multa : *ſpecies autem (i. e. intelligibilia ſimplicia),*
„ *quæ ſunt in corporibus*, multa ſimul, & unum: *cor-*
„ *pora vero (quorum eſſentia in modo eſt, quo multa*
„ *ſimul in uno coexiſtunt)* multa *ſolum: denique quod ſu-*
„ *pernum eſt (in ſe ipſo, & nihil extra ipſum exiſtens)*
„ dumtaxat eſt unum.

Utraque ſiquidem ſive Animæ, ſive aliorum finitorum ſimplicium indefinita magnitudo, & actuoſitas alia eſſe poteſt, atque alia, prout ad alia poteſt ordinari, atque ad alia ab iis diverſa, & cum iis connecti ad aliud quidquam actuandum. Sic erit Anima poſt mortem ad Deum ſuum principium reverſa, aut cum mortale hoc corpus per reſurrectionem reaſſumpſerit incorruptibile: cum reſurget ipſum corpus incorruptum, & immortale, atque ſpiritale. Quemadmodum D. Paulus 1. *ad Corin. cap.* 15. ait. De quo non licet ultra homini loqui.

Porro claret inde, quomodo Anima poſſit eſſe per Dei voluntatem in pluribus ſucceſſive ſtatibus diverſis: in ſtatu nimirum præexiſtentiæ in ordine ad perfectum, aut imperfectum ejus organicum corpus; in ſtatu conjunctionis cum ipſo perfecto ſuo corpore, ut ſit homo, & humane agat; in ſtatu ſeparationis a ſuo corpore poſt mortem; in ſtatu unionis cum igne, aqua, aere, æthere, Cælo empyreo, aut alia Mundi parte, dum a corpore proprio ſeparata, non amplius immediate cum eo conjungitur; in ſtatu denique reunionis cum proprio corpore, & Mundo, alio modo ſe habente poſt reſurrectionem. Quippe cum magnitudo Animæ indefinita ſit, atque activitate ejus conſtituatur, definiatur, & limitetur *per ordinem ad id in quo recipitur, & exiſtit*, quatenus ipſum recipiens, cui accidentaliter unitur, potius tale eſt, quam aliud, ut aptum ſit ad ipſam ejus vim, ſeu activitatem in ſe recipiendam,

dam, cui illa ſe communicat, ac veluti extendit: nihil plane Deo difficilius eſt igne v. g. torquere Dæmones, atque Animam immediate a proprio ſuo corpore ſejunctam, quam mediante ipſo corpore, quocum immediate unitur; cujus quidem ipſa in hac vita omnes ſenſationes atque affectus appercipit.

Quinimo claret etiam, qui fieri poſſit, ut una vis in animali ſimplex, atque activa, aut plures etiam ſimul in uno agentes, nec tamen ſeipſas intuentes-qualis eſt Anima rationalis, motum in iis, aut in immediate adhærentibus ſimplicibus, aut corporibus, vitam, & ſenſum excitare, aut determinare valeant, & continuare. Ut eſſet v. g. fomentum generationis, Solis calor, aut alius fluidi inter poros plantæ, aut animalis interlabentis motus, ſuccus nerveus, ſanguis &c.: cum enim tota illorum eſſentia, ſeu natura vis ſit, ſeu vita, & activitas a Deo per id determinata, quod eſt ab ipſis actuandum; una, aut multiplex vis ejuſmodi id ſane poteſt actuare, ad quod actuandum a Deo ipſo fuit per mechanico-organicam ſtructuram eorum determinata ac deſtinata, nec ullam in ſe contradictionem continet: veluti elaterium quoddam in machina, quæ dicitur Horologium, vel projectilis motus ſemel in corporibus cæleſtibus impreſſus, ſive determinatus &c. Quippe hoc omne poteſt quæcumque ex his viribus, ex eo quod per actum determinatum Dei eſt, quod Deus ipſe per actum ejuſmodi determinatum per ſe ipſum immediate citra contradictionem poteſt.

Ex quo ſane pronum eſt etiam eruere : Nullam Brutis ineſſe ſpiritalem Animam , ſicut nec in bruto animali corpore hominis, cui rationalis , & ſpiritalis anima ex voluntate Creatoris fuit, & eſt hypoſtatice unita , ut Domina & Moderatrix ejus . Liquet id etiam ovi exemplo : in quo cum vi ſtructuræ materiæ, ex qua conſtat, poſſibiles ſint omnes ſenſuales , ac locales motus ; actione tamen caloris Gallinæ, qua fovetur, quietis perturbato æquilibrio , natura veluti quadam ſuperveniente , actu excitantur : ita fere ac Horologii, vel alius mechanicæ machinæ rotæ ad motum excitantur, ac elaterio aliquantiſper in motu continuantur.

Præterea nonniſi ob hanc etiam rationem, quia corpora , & tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos, ita ac ſi ipſamet eos intenderent, id quod dicitur *inſtinctus* eorum ; animantia bruta videntur agere cum ratione , & ratione melius uti ipſis hominibus , quemadmodum multiplici documento adſtruere conatus eſt Hieronymus Rorarius in Tract. cui hunc titulum fecit. *Quod animalia bruta ſæpe ratione utantur melius homine* ; quæ enim ipſis tribuitur ratio , non ipſorum , ſed Dei ratio eſt. Inde porro eſt, quod rerum *natura* fingatur ens intelligens ſapientia maxima inſtructum . Quæ enim naturæ rerum tribuitur ſapientia, ipſa Dei ſapientia eſt, quam per naturam rerum nobis patefacere conſtituit. Sane ipſæ machinæ hominum opera conſtructæ rectius exequuntur id , cujus gratia conſtructæ ſunt, quam vul-

go ab

go ab hominibus fieri aſſolet. Agunt enim cum ratione Artificis propter fines ab eodem intentos, & ſtructura earumdem, quæ eſſentia ipſarum eſt, ad finem conſequendum aptata.

POSITIO XXVIIII.

§. 75.

Anima nunquam exiſtit ſine ordine ad Corpus, quod tunc ſaltem proprium eſt ejus ad tale animal, vel hominem, vel Mundum conſtituendum; cum quo Corpore immediate, & mediate cum Mundo ipſo unitur, pro eo quod tunc ſimul cum ipſo, vel in ipſo Corpore, & in ipſo Mundo ab homine, ex Dei voluntate actuandum eſt. Et ideo non ſtatim in fœtu etiam animato eſt rationalis: ſed primum mobilis i. e. ſuimetipſius repræſentativa confuſe tantummodo eſt, deinde ſenſitiva, ac tandem rationalis.

Eſt igitur Anima in corpore, & nunquam antea, niſi eminenter (§. 52.) fuit extra ſuum corpus. Quippe, cum eam creavit Deus (h. e. determinate obſervabilem, actuque a ſe diſtinctam exiſtentem effecit), eodem illo actu (Gen. II. v. 7.) *inſpiravit in faciem primi hominis*: quo eodem actu qui putant ſimul omnes omnino Animas fuiſſe a Deo creatas, & ſeminibus definitive incluſas, non ideo tamen cenſent, eam partem eſſe quandam corporis, aut in eo eſſe confuſam: ſed potius

potius, quatenus tunc pro eo ſtatu addicta eſt ad illud actuandum cum ipſo eo imperfecto corpore ſimul agendo, quod a Deo auctore ſuo fuit ipſi præſtitutum; eſſe veluti *occluſam* in ipſo corpore, ut optime ait Plotinus (*n*) Platonicus (*o*).

Non

„ (n) *Quamobrem, inquit ſupracitato loco, devinctus eſt animus, ſcilicet delapſus ab alto, & inde compedibus alligatus, & agendo ſenſibus utens, propterea quod prohibetur ab initio uti mente, fertur quoque ſepultus eſſe, & conditus in ſpelunca. At cum ad intelligendum ſe convertit, ſolvi ex vinculis judicatur, altiuſque aſcendere, quando videlicet ex quodam reminiſcentiæ (ſui nempe metipſius intuitionis) munere ad entia (determinata ſeu ſingularia) contemplanda facit exordium, &c.*

(o) *Leibnitius (ut notat Cl. Hanſchius in ejus principiis Philoſophiæ more Geometrico demonſt.) in Cauſa Dei aſſerta* §. LXXXI. p. 28. coll. Theodicææ part. I. §. XCI. p. 208. ſeq. Tom. II. du Recueil. p. 187. ſeq. *ſupponit in conceptione fieri elevationem, ſive tranſmutationem animalculorum ſpermaticorum in ſpecies animalium majorum*, per experientiam Phyſicorum recentiorum: *non tamen definit*: an anima præexiſtens ſenſitiva evehatur ad ſtatum animæ rationalis ordinaria, an extraordinaria Dei operatione; item: an detur medium naturale evehendi animam ſenſitivam ad gradum rationalitatis, vel an Deus illi rationem largiatur

opera-

Non creſcit ergo anima in pueris, non fit perſpicacior in juvenibus, prudentior in ſenibus, quantum attinet ad ſe, & quo ad eſſentiam ſuam, quæ ſicut & in ceteris rebus, ita in ea ſemper una eſt, æterna, & immutabilis. (*Eſſentia enim incorporalis,* ait

---

operatione particulari per ſpeciem quandam tranſcreationis? *id quod facilius ipſi videtur admitti poſſe: quoniam, revelatione teſte, conſtet plures operationes Dei eſſe immediatas in animas noſtras. Item in Theodicææ part. III.* §. *CCCXCVII. p.* 595. *ſeqq. coll.* §. *CCCXXXIV. p.* 339. *Hæc animæ elevatio, quæ illam tranſducit in gradum „ eſſentialem ſublimiorem, ſcilicet rationem, adſcribi „ poteſt operationi divinæ extraordinariæ. Fatetur „ tamen, ſe malle in generatione hominum, æque ac cæterorum animalium evitare miracula, & explicari poſſe „ negotium, ſi concipias, quod in maxima illa copia „ animarum, & animalium, aut corporum ſaltem organicorum viventium, quæ ſunt in ſeminibus, illæ ſolæ „ animæ, quæ olim, ut ad naturam humanam deveniant, „ deſtinatæ ſunt, rationem ſuo tempore ſeſe manifeſtaturam involvant, & quod ſola corpora organica ſint „ præformata, & prædiſpoſita ad formam humanam olim „ recipiendam; cætera autem animalia, aut viventia ſeminalia, in quibus nil tale præſtabilitum eſt, eſſentialiter a prioribus differre, & in univerſum illis inferiora eſſe. „ Utram ex his hypotheſibus admittere velis, principia heic habes ad eas explicandas: nimirum* pro

ait Plato, *ſecundum ſubſtantiam immutabilis, intelligibilis, inviſibilis, & uniformis eſt*) ; ſenſum acquirit exquiſitiorem, memoriam promtiorem, aut faciliorem; cognitionem majorem, aut ſcientiam exiſtentium, atque adeo ſingularium, & individuorum; voluptatem etiam,

---

pro ſupernaturali tranſcreatione ex demonſtratis §. 37. *& ſeqq. &* 67. *Pro naturali autem elevatione ex* §. 46. *& ſeqq. &* 73. *& ſeqq.*

Verum hac in re veritatem acu tetigit doctiſſimus Theologus ac profundiſſimus Thomas Vincentius Falletti Canonicus regularis Lateranenſis, qui duobus opuſculis (quæ dum jam iſthæc noſtra prælo commiſſa erant, ab amico nobis fuerunt oblata); cum in primo ex Leibnitiano rationis ſufficientis, quam ipſe completiſſimam atque illimitatam appellat, principio, exiſtentiam unius ineffabilis Dei demonſtraſſet; materialiſtas in altero opuſculo confutaturus, indefinitam *Animæ humanæ, atque adeo cujuſcumque ſimplicis ſubſtantiæ eſſentiam perſpiciens, quam adeo in Deo ipſo* eminenter *præcontineri Veteres docuerunt Theologi : neceſſaria inde illatione infert, Animam ipſam generis eſſe omnino ei, quod materia dicitur, oppoſiti ; atque adeo ne dum indiviſibilem eſſe & inextenſam, verum neque etiam ulii loci, aut temporis menſuræ ſubjectam ; ſed in ſe ſpectatam* in ſtatu æternitatis, *non quidem abſolutæ, ſed* a Deo dependentis, *ſemper fuiſſe & eſſe, atque adeo per eſſentiam ſuam ingenerabilem atque incorruptibilem „ Del reſto*

etiam, aut tædium per gradus variam ex modificationibus externorum objectorum percipit, timet, dolet, concupiſcit, iraſcitur, infirmatur, ſana eſt &c. Sed pro ratione unionis, quam habet cum humano

„ *reſto* (*ſubdit cit. Auctor cap. XVII.*) *volendo noi* „ *ſoſtenere*, *che l' Anima noſtra umana ſia* creata in „ tempo *ſenza derogare alle ſuppoſizioni*, *che facciamo* „ *d' una coſtituzione di natura* indiviſibile, *che rigetta* „ *di per ſe ſteſſa qualunque miſura*, *e ſucceſſione*, *potremo ſempre dire*, *che la creazione di queſt' anima* „ *ſi rende ſenſibile con quella corriſpondenza*, *oſſia com-* „ *mercio*, *che paſſa fra lei*, *ed il corpo noſtro &c. Scilicet: tum primum ſubjectum ſit cum a Deo*, *tum a ceteris coordinatis diſtinctum*, *actu ſeipſum*, *h. e.* aliquid determinate ac diſtincte repræſentans & manifeſtans. *Confer a nobis* §. 52. *& in adnot. c. ibi. demonſtrata*, *nec non* §§. 70. *&* 72. *dicta*. *Equidem ad eandem metam utrique contendimus*, *ſed non eodem calle*: *ex* ineffabilitate *Dei atque animæ ille*; *ex* effabilitate *nos eadem conſequentia deduximus*; *quod Deus & anima humana*, *ſuo modo* Vis ſit ſuimetipſius & aliorum a ſe diſtinctorum in ſe repræſentativa: „ *Ne ineffabilis quidem* (*inquit I. de doctr.* „ *Chriſtiana S. Auguſtinus*) *Deus dicendus eſt*, *quia &* „ *hoc cum dicitur*, *aliquid dicitur*, *& fit neſcio qua* „ *pugna verborum*, *quoniam ſi illud eſt ineffabile*, *quod* „ *dici non poteſt*, *non eſt ineffabile*, *quod vel ineffabile* „ *dici poteſt*.

ſuo corpore, & tali corpore, ſive *pro illo modulo, quo pro illo tunc ipſum modificatum eſt, ad illud actuandum, ad quod tale tunc corpus pro ſua mutabili eſſentia eſt aptum*; ad tale nimirum Animal, & imperfectum, aut perfectum hominem actuandum, ſive repræſentandum ex ſupradicta lege Creatoris (§. 54.). Per quam ſubjectum eſt ei, & ſubordinatum corpus: cujus & ultimum complementum ſubſiſtendi eſt, ut Domina & Moderatrix ejus (§. 69.) ad illius perfectionem conſervandam, & augendam tendat, & ſui ſimul cum eo etiam, quatenus homo eſt, & talem compoſitam ſpeciem (§. 59.) conſtituit. Unde *prout materialiter magis perficitur ejus corpus, aut infirmior eſt, & magis involuta ejus organica ſtructura & eſſentia* (§. 81.), *imperium ſuum in eo, in quo indefinite extenditur, extendit magis, aut coercet, & modificationes ejus mutabiles atque accidentales magis diſtincte percipit, atque appercipit, ac veluti ſentit* (§. 60.); ut pro idea intelligibili boni, aut mali veri aut falſi, quam in ſe per eſſentiam (§. 37. & ſeq;) habet, *ſeipſam* ex ea idea, tamquam ex determinativo motivo, *modificet*, ad bonum illud proſequendum, aut malum averſandum, ſitum corporis in ordine ad cetera coexiſtentia Univerſi mutando, aut organa ſenſus avertendo, vel ad alia convertendo ob bonum præviſum, & apprehenſum in illa corporis ſui mutatione (§. 58.). Itaut dici non immerito poſſit, ex actionibus externorum objectorum materialiter in ſuo corpore factis, aut repræſentatis, ipſam pro ra-

tio-

tione perfectionis corporis ſui, aut totius hominis pati, ut *corpori timeat, corpori appetat, ob corpus doleat, ob corpus, aut corpori concupiſcat, vel iraſcatur, ob corpus turbetur, & a quiete, ſive immutabilitate ſibi eſſentiali excitetur, & varie modificetur, ut in ideis ſuis intelligibilibus aut confundatur, aut obſcuretur, aut illuſtretur intuitiva ſui viſio eſſentialis* (p).

POSITIO XXX.

§. 76.

D*Eterminata ergo magnitudo, ſive actuoſitas Animæ accidentalis ipſi eſt, & vi unionis cum corpore ad hominem conſtituendum ei advenit.*

Etenim *eſſentia hominis*, quâ homo eſt, ex Anima conſtans, & Corpore *accidentalis* relate ad ipſam Animam, pro ratione partium, quibus ejus corpus conſtat,

(p) *Ita Plotinus ſupra cit. loc.* „ *Quamobrem* „ *tum dolore afflicti, cum voluptate permulcti ejuſmo-* „ *di Corporis curam habemus, & quo ipſi (animo)* „ *debiliores ſumus, eo diligentius & curamus, & tan-* „ *to colimus accuratius, quanto minus ab eo nos ſegre-* „ *gamus. Sed hoc ipſum, quod in nobis eſt præſtan-* „ *tiſſimum, quo & homines ſumus, quaſi in corpus* „ *tale ſubmergimus. Profecto putandum non eſt, paſ-* „ *ſionem ejuſmodi ad animum pertinere, ſed ad corpus* „ *tale, & commune quiddam, atque conjunctum.*

ſtat, & ſtructuræ ejus organorum (§.31.), quatenus partes ejus, aut organa ſenſoria aptiora ſunt, aut minus apta ad proprias functiones actuandas, conſtituitur. Quare pro ratione quoque partium, & organorum corporis, in quo definitive (§. 73.) eſt Anima, magnitudo ejus determinatur: ſeu vis Animæ ſui repræſentativa perſpicacior eſt, aut obtuſior, præpollentior, aut infirmior pro ratione majoris, aut minoris perfectionis ejus, in quo eam, vi unionis cum eo magis, aut minus extendit.

Cauſa enim quæcumque ſemper proportionalis eſt ſuo effectui, & fruſtra ea Animæ vis amplior eſſet, ſeu magis ſeſe extenderet, ubi ſubjectum corpus, in quo ea eſt exercenda, non ferret: Sicut major non adhibetur vis ad pondus ſublevandum levius. Quinimo nec Deus ipſe omnem ſuam vim, ſive omnipotentiam in Creaturis ſive formandis, ſive conſervandis, ſive dirigendis, ſive etiam ad actus ſupernaturales promovendis (adnot. i. ad §. 71.) exercet.

POSITIO XXXI.

§. 77.

Magnitudo ergo pariter Animæ Facultatum intelligendi, appetendi &c. immediate determinantur a magnitudine Facultatum Corporis ſentiendi exteriora, & mediate etiam ab ipſo Mundo, cum quo etiam unita eſt, & accidentaliter connectitur Anima.

Quam

Quam ob rem cum hæ Corporis Functiones ampliores ſint, ſive expeditiores, aut reſtrictiores, ſive impeditiores, magis, aut minus perfectæ, quia Corporis ipſius eſſentia & perfectio eſt mutabilis; ita quoque Facultates Animæ eſſentiales, ſeu indefinitæ intelligendi, & appetendi, quæ ſuam determinatam magnitudinem, ſeu extenſionem ab illis mutuatur. Unde quia Domina eſt ipſa, & Moderatrix ſui Corporis, cum quo hypothetica neceſſitate unita eſt (§. 59.), pro ratione boni illius, & ſuimetipſius dolet ipſa, dum dolet Corpus, ſentit conformiter ad Corporis ſenſationes, & affectiones. Ut ex materialibus illis modificationibus, ſeu ideis, quas extra ſe, & in Corpore ſuo, ſeu in iis appercipit, quæ ad ſe vi mutui nexus pertinent, excitetur, ac veluti a quiete ſibi eſſentiali deturbetur ad judicandum, veluti *a priori* ex collatione ideæ univerſalis, & ab omni concreto, ſeu determinatione abſtractæ, & intellectualis ſuæ, unitatis, veritatis, atque bonitatis ſeu perfectionis (§. 46.), ad particulares ideas materiales, ſeu omnimode in concreto determinatas, ac ſingulares, & accidentales *a poſteriori* per ſenſus determinate perceptas (§. 47.): & pro talium ratione veluti determinativo motivo ad ſe ipſam conformiter modificandam, ſeu vires ſuas eſſentiales extendendas, & exercendas. Ut ſi quis quærat, qualis, aut quanta eſt perſpicacia Mentis, ſeu intellectus Animæ ad cognoſcendas veritates exiſtentium rerum materialium? reſponderi tuto poſſit: talis, ac tanta eſt,

quan-

quantum fert ipſa ejus Corporis ſtructura, humorum temperamentum, organorum diſpoſitio, &c. Quanta eſt ejus vis ad movendum ſuum Corpus, aut aliud ſibi adhærens? Tanta profecto, quantam pro ſua magnitudine, & ſtructura muſculorum ipſa fert eſſentia ſui Corporis, itemque pondus adjectum, ſeu ejus inertia: qualis, ac quatus eſt ejus affectus, atque appetitus ad ſenſibilia? talis, ac tantus, quemadmodum ſe habet modificatio, quæ tunc a circumſtantibus, ſeu coexiſtentibus, & ſucceſſivis objectis in ejus Corpore excitatur; quæ pro ratione veritatis, aut bonitatis ad perfectionem ſui Corporis, ſui, & unionis cum ipſo conſervandam, aut augendam quidquam conferre poteſt (§. 47.), quod recte dicetur ejus *intereſſe*.

POSITIO XXXII.

§. 78.

Cum iſthæc modificatio Animæ formaliter ſemper eodem modo ſe habeat, ſeu uniformiter in ea fiat pro ratione actionis, ſeu materialis modificationis organorum, & ſenſuum ſui Corporis, a qua immediate excitatur: ea ex lege ſenſationum dependet (§.58.), quæ per eſſentiam, ſeu organicam ſtructuram ſenſuum, & ipſiuſmet ſui Corporis animalis (§. 59.) explicatur, quorum perfectio ab eo pendet, quod ex voluntate, & concurſu Dei eſt ab ipſis actuandum.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter pro hac quidem lege, cui ſubjicitur Anima, dum Corpori immediate, & Univerſo ipſi mediate unitur ad hominem conſtituendum, & ipſum Univerſum; cujus quidem tota perfectio, ſeu determinata eſſentia & natura in eo eſt, quod ab eo eſt actuandum ex voluntate Dei, a quo tota ejus pendet eſſentia, ſeu determinata natura & perfectio (§. 59.): pro ratione, inquam, talis legis, qua Anima a Corpore ſeparata nunquam exiſtit, aut ab ordine ad ipſum, & totum Univerſum (§. 75.), quæ eſt neceſſitas hypothetica ita *eſſe* Animæ, quæ eſſentiam hominis conſtituit, cujus ea una eſt pars; non immerito definiri ea poteſt: *vis repræſentativa ſui*, & *ipſius Univerſi*, ſeu *abſolute*, vis *repræſentativa Univerſi* (*cujus eſt ea una pars*) *ſitu corporis organici in Univerſo materialiter*, & *conſtitutione organorum ſenſuum formaliter limitata*. Ut ponit Cl. Chriſtianus Wolph. in *Pſychol. ration.* pag. 25. §. 66.

POSITIO XXXIII.

§. 79.

H*Uic profecto legi ita etiam Anima ſubjicitur, ut tamen Domina ſit ſui Corporis, & ſenſationum, aut affectionum ejus.*

Huic tamen legi ita ſubjicitur Anima, ut quamvis exteriora materialia objecta neceſſario ſentiat, & dum ſentit, neceſſario ab illis conformiter ad af-

fectio-

Digitized by Google

fectionem Corporis jucundam, aut moleſtam ipſa modificetur, ſeu a ſua quiete excitetur & perturbetur ejus imaginandi vis: attamen *mutato* ex libera electione arbitrii, ſeu judicii ſui, per attentionem & reflexionem (§. 45.) ab intereſſe objecti (§. 63.) ſibi repræſentati, excitata, *ſitu corporis* (ut habet in eo dominium ex ſimili natura cum Deo (q), qua gaudet (§. 69.), ut ſibi maxime placet; *malum quod percipit, & averſatur, ſeu mali ſenſationem, aut imaginationem non amplius percipiat, vel in ſenſationem boni mutet, & appetat*. Quippe cum ideam boni, ac mali intelligibilem per eſſentiam habeat, ſicut & ideam veri, ac falſi, magnitudinis, multitudinis, unitatis &c. in genere; ex ſeſe diſtincte cognoſcere valet, quæ bona ſint, aut mala, & quidem quæ vera ſint ab iis, quæ talia ap-

(q) *Alcinous ſupracit. loco „ Animam, inquit, „ his rationibus immortalem eſſe Plato demonſtrat. „ Anima cuicumque adeſt, vitam affert, utpote illi „ naturaliter inſitam: quod vero vitam præſtat, mor- „ tem minime ſuſcipit . . . . . . Accedit ad hæc, „ quod Anima ipſa naturâ corpori dominatur. Quod „ autem natura ſua regit & imperat, divinitati co- „ gnatum. Quapropter Anima Deo proxima immor- „ talis erit.*
Hinc ad Judices in S. Scriptura Pſalm. 81. *& Joann.* 10. *dicitur*. Ego dixi: Dii eſtis, & Filii Excelſi omnes.

apparent, magnum, & parvum, unum, aut multiplex etiam in individuo, ſeu in ſpecie determinata *attendendo*, aut *reflectendo*, quatenus ut talia individua ſunt: & ſic *ſenſuum corrigere errores, aut mutare ſenſationes, & abſolutum* quidem, ſeu intelligibile *bonum* etiam, *unum*, ac *verum* contemplari, quærere, & appetere: in quo *ſummum ejus bonum & felicitas*, Platone, atque Ariſtotele docentibus *eſt poſitum, quod eſt* ejus *eſſentialis perfectio, & vera vita*, quæ *mors* dicitur *hominis*, & *Animæ a corpore purgatio*, aut ſeparatio, quam ſummopere Philoſophus optare debet Chriſtianus, & a Socrate, aut Platone in *Phædone* tantopere commendatur. Quod dum equidem aſſequutus erit Beatus, tum vere illi aptari poterit celebre effatum a Veteribus traditum:

VALETE VOS, EGO VERO IMMORTALIS JAM DEUS PROFECTUS AD DIVINUM, DIVINÆ SIMILITUDINI TOTUS INCUMBO. *Amen*.

80.

EPILOGUS.

I.

P*Raeter Animam, & cetera ſimplicia entia nihil eſt aliud Vere ſubſtantiale, eſſentiam habens neceſſariam, quae unico vero, & uno incommutabili bono dignoſcatur, & commenſuretur.*

Quamobrem cum quæ in Mundo ſunt adſpectabili, præter Animam (& ſpiritus alios, quorum meminit Sacra Scriptura), compoſita ac ſenſibilia ſint omnia, ne homine quidem excepto (§. 59.) quâ Anima conſtat & corpore; tamquam phænomena habenda ſunt ex actione compoſita, ſeu unita ſimplicium derivata: quæ proinde, pro ratione, quâ compoſita ſunt, nullam habent neceſſariam, aut immutabilem eſſentiam, ſeu nihil in ſe, quâ talia, ſunt (§. 49.) ſubſtantiale, & ideo in continuo fluxu ſunt, de quibus nulla eſſe poteſt certa & immutabilis ſcientia, ſed tantum opinio, ut olim ex ſen-

ſententia Eracliti ajebat Plato. Scientia enim non eſt, niſi de iis, quæ ſemper eodem modo ſe habent, nec non & neceſſariam eſſentiam, quæ ſunt tantummodo intelligibilia, ac univerſalia, quæ certam, atque immutabilem naturam habent, atque eſſentiam. Quod revera nihil aliud eſt, præter *ſimplex rerum omnium principium*, quod ſcilicet *eſſentialiter ſemper* (§. 52.) *unum eſt*, in ſe ipſo manens; *neceſſario verum*, a ſe ſemper exiſtens, atque invariabili modo omni (nempe triplici §. 71. *adn. K.*) poſſibili; *ſummeque perfectum, atque incommutabile bonum*. Ad cujus intelligibilem formam, & formam omnium eorum, quæ in ſe continet, ceu a ſe diſtincta cetera ſunt, quæ extra ipſum ſunt facta (§. 52.): *Quæ ideo imaginem ejus*, ſi ſimplicia ſint, in ſe habent, aut *ſimilitudinem* ſaltim in ipſa *ſua activitate, & operatione ad extra exprimunt* (§. 72.), *& manifeſtant*.

Nam ne quicquam aliud de Anima dicam, quam Deus ipſe in faciem hominis inſpiravit, quæ ideo non unius, aut alterius perfectionis Dei limitatione extra Deum ſubſiſtit, ſed ipſa totius eſſentiæ, nempe ſubſtantiæ & naturæ Dei imaginis, atque ſimilitudinis determinatione creata eſt; quæque ideo, *non ſecus ac Deus ipſe, vis eſt ſuimetipſius intuitiva, pro eo tamen quod eſt ab alio exiſtens, atque undique a coordinatis limitata*:

Quid eſt hoc, inquit Socrates in *Phæd.* quod dicitur pulchrum? & quare materialis imago Socratis pulchra dicitur? niſi quod intelligibili pulchro,

Q 2 aut

aut Socratis imagini materiali aſſimilatur, nihil ultra hoc eſt pulchrum. Quid eſt bonum? niſi quod intelligibili ideæ ſummi boni aſſimilatur: Quid eſt magnum? quid parvum? non aliud, quam quod abſoluto, atque intelligibili infinito magno ſimilitudine ſua magis accedit, vel ab eo recedit; non enim alia eſt magnitudo magna, magnitudo parva. *Si dicis* (ait Socrates cit. loco): *Simia major eſt Socrate, & Phædone minor, non ais tunc utrumque in Simia eſſe & magnitudinem, & parvitatem?* Si ergo aliqua res eſt magna, parva, pulchra, bona, major, minor, pulchrior, aut melior, hoc ea quidem res eſt, non quod tunc in ea eſt, *quod aliis non ineſt*, quibus referatur (quod quidem ceteroquin nihil eſt): ſed ideo quia per participationem talium idearum, ſeu intelligibilium, & poſitivarum æternarum eſſentiarum res illa vere talis eſt (*r*).

IL

(r) *S. Auguſtinus lib. octoginta trium qq. q.* 46. „ *Ideæ ſunt, inquit, principales quædam formæ, vel* „ *rationes rerum ſtabiles, atque incommutabiles, quia* „ *ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſe habentes, quæ in divina intelligentia continentur, & cum ipſæ neque oriantur, neque intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur omne,* „ *quod oriri, & interire poteſt, & omne, quod oritur,* „ *& interit.*

II.

Cujus unius veri, ac boni Imaginem, & ſimilitudinem determinato quaque ſingulari modo, veluti materiatam, ſimplicia ipſa naturalia repræſentant.

Hanc itaque intelligibilem formam, atque ſimilitudinem veluti materiatam, ſenſibilem, atque dividuam continuo (§. 72.) producunt, & in ſe repræſentant ipſa ſimplicia (§. 9.), quatenus ex fine, ſeu eo, ad quod (§. 54.) actuandum primo ac per ſe uniformiter ſunt ſimul creata & coordinata: & hæc ipſa eſt tota, atque indefinita *continua, & uniformiter extenſa Univerſi magnitudo; ſeu materia, extenſio ipſa in genere, & imaginabile ſpatium* (§. 46.): deinde quatenus eadem ſimplicia ab eodem Auctore ſpecierum, atque naturæ ſunt ſimul coordinata tot, & talia potius quam alia (§. 22. & ſeq.); ut ſimul in uno coexiſtant actuando, ad quod actuandum ſunt nata, ſeu præſtituta, aut facta; naturam habent ſpecificam, ſeu determinatam eſſentiam, & actualem exiſtentiam, talem determinatam vim, ſeu actuoſitatem, & perfectionem, quæ tota eſt illorum *ſimplex ſubſtantia*, ſeu id, ad quod determinato modo (§. 71. *adnot. i. & h.*) *multiplices, atque infinitæ Dei vires perfectionesve* (§. 52.) *primo concipiuntur citra contradictionem poſſe ad extra, ac veluti totidem ſubjecta a Deo diſtincta ſubſiſtere*, & in ſe continere rationem ſufficientem omnium eorum, quæ per ea eſt primum in ſpecie, & deinde etiam ultimate, ſeu in individuo actuandum, quatenus

Digitized by Google

vel coexiſtere debent, vel ſibi in continuata ſerie ſuccedere ad *unum ipſum Univerſum*, *& imaginabile ſpatium*, *ac tempus* (§. 46.) conſtituendum, & ipſum in eo *Auctorem ſuum*, & ipſius Univerſi, omneſque illius perfectiones in ſe repræſentandum, & manifeſtandum: quod ultimus eſt omnium illarum ſpecierum, & Mundi ipſius univerſi finis: *ſeu ultimum ab ipſis actuandum, in eo conſiſtens, ut gloria ſumma Dei per oſtenſionem, & communicationem ſuarum perfectionum in ipſis manifeſtetur* (s).

Unde ſapientiſſime omnino Apoſtolus ad *Rom.* 1. ait: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta* (non per ſenſus percepta tantum) *conſpiciuntur* (nempe intellectu videntur ab intelligente per ſenſus): *ſempiterna quoque ejus virtus* (qua procreata, ſeu determina-

(s) *Idea namque, ut cit. q. S. Auguſt. definit, proprie eſt* forma intelligibilis, quam effectus imitatur ex intentione agentis ſibi finem determinantis. *Nimirum* 1. *proprie* in ſola intelligentia, *non autem extra mentem agentis exiſtit*; 2. effectus *ſolus*, *qui eam imitatur ſic eſt*; 3. *hic autem* ex intentione *agentis id eſt determinate, quod eſt*; 4. *demum* ex proprio ſuo fine, *quem ipſi agens præſtituit, extra ſuam poſſibilitatem, ſeu extra ipſum agentem*, actum, *ſeu finitam, ſive naturatam eſſentiam, vel realem exiſtentiam, ſive determinatam naturam obtinet. Unde etiam patet, quod non ex ſolo* intellectu *Dei, ſed etiam ex* voluntate *ejus agente quodcumque ens creatum* exiſtit, & id eſt, *quod eſt*.

minate perceptibilia, aut ſenſibilia ſunt facta & determinata individua ad exiſtendum), & *Divinitas* (cujus imaginem, & ſimilitudinem referunt): *ita ut ſint inexcuſabiles, qui cum ipſum cognoverint* (& ſenſu nimirum, & mente), *non ſicut Deum glorificaverunt* (quo unice tendere debent, & quod unicum eſt ab illis actuandum, quo tota ſubſiſtit eorum eſſentia, & perfectio naturalis, & accidentalis quoque §. 64. conſiſtere debet).

III.

INtelliges ex hactenus dictis Veterum de ideis theoriam, quam ſic paucis comprehendam. Eſt itmirum *Idea* ad Deum relata, *Intellectio* ejus; ad Mundum, & rem omnem ſenſibilem, *Exemplar ejus*; *ad Seipſam*, *Eſſentia*, poſſibilitas, ſpecies, vel *ſubſtantia*, aut materies *rerum*, ſeu Mundi; & ad actualitatem, ſeu Naturam earumdem actu extra Deum, ſive a Deo diſtinctam, exiſtentem, *Actus eſt, ſive opus ad extra Dei* pro ratione ipſius finis, nexuſque rerum determinatus (§.71. adnot. i).

Ex finibus enim rerum, actuumque res finiuntur, & limitantur, actuſque determinantur, atque definiuntur.

Atque hæc adeo evidentia per ſe ipſa ſunt; ut qui ſatis attente naturam perſcrutati ſunt Univerſi ex veteribus etiam Philoſophis, non obſcure admodum perſpexerint, ut videre eſt apud Poetas, & conſtat ex verſibus Orphæi (quos videſis

in

Digitized by Google

in *Comm. del Fedone tradotto dal Greco da M. Sebaſtiano Erizzo* p. m. 197.), a quibus Plato ſuum de ideis ſyſtema mutuatus eſt, quod paucis complexus eſt Alcinous lib. ſuo *de doctrina Platonis*, ut apud eumdem p. 199. his ſequentibus verbis. „ Cum „ vero materia principii cujusdam rationem habeat, „ alia quoque principia Plato præter materiam introducit, principium videlicet Exemplare, ad quod „ ideæ ipſæ reducuntur, & principium Paternum, „ quod ad Deum rerum omnium cauſam pertinet.

„ *Eſt autem Idea* ad Deum quidem, intellectio Dei, „ ad Mundum vero ſenſibilem, exemplar, ad ſeipſam, „ eſſentia (ad eamdem actu exiſtentem, ſive naturatam, ipſe actus, vel potius opus & effectus creatio„ nis, & conſervationis Dei). Quidquid enim intelli„ gentia fit, ad aliquid referre neceſſe eſt, quod „ quidem ceteris exemplar erit: quemadmodum ſi „ aliquid ab aliquo fiat, ut a me meipſius imago. „ Etſi exemplar haud omnino ſit ab agente ſeor„ ſum, ut quiſque Artifex in ſe ipſo artificiorum „ exempla concipiens, horum deinde formas in ma„ teria explicat.

„ *Definiunt* autem ideam, exemplar æternum eorum „ quæ ſecundum naturam fiunt. Nam pluribus ex iis, „ qui Platonem ſequuti ſunt, minime placuit arti„ ficiorum Ideam exiſtere, ut clypei, atque lyræ, „ neque rurſus eorum, quæ præter naturam, ut fæ„ bris, ac bilis intemperatæ, neque particularium

(ideſt

(ideſt tum actuum §. 61. tum rerum ſingularium
„ §. 73.), ceu Socratis, & Platonis, neque etiam
„ alicujus eorum, quæ imperfecta ſunt, veluti ſor-
„ dium, atque feſtucæ, neque relationum, ut ma-
„ joris, & excedentis. Eſſe namque Ideas intelle-
„ ctiones rei æternas, ac ſeipſis perfectas (ideſt ab
omni accidentali determinatione, ſeu limitatione ab-
ſtractas §. 52.).

„ Quod vero *ſint Ideæ*, ſic probant: ſive intellectus
„ Deus ipſe ſit, ſive intellectuale quiddam, notiones
„ illi adſunt æternæ, atque immobiles: Quod ſi hoc
„ ita ſe habet, ideæ ſunt. Etenim ſi menſura per ſe
„ ipſam materia caret, ab aliquo ſuperiori, & a
„ materia penitus abſoluto menſuras ſuſcipiat neceſ-
„ ſe eſt. Verum quidem eſt antecedens, verum igi-
„ tur conſequens. Et ſi hoc, Ideæ ſunt menſuræ quæ-
„ dam, ſine materiæ mixtione exiſtentes: Accedit,
„ quod ſi Mundus non temerario quodam caſu (quod
„ nec in cauſis ſecundis fit) talis eſt, non ſolum
„ ex aliquo, verum etiam ab aliquo factus eſt. Ne-
„ que id ſolum, ſed ad aliquid etiam fabricatus.
„ Id vero, ad quod effectus eſt, quidnam aliud prater
„ ideam exiſtit? Quo ſequitur, ut ideæ ſint. Item,
„ ſi intellectus a vera opinione differt, intelligibile
„ quoque ab opinabili diſcrepat. Hoc ſi verum eſt,
„ extabunt intelligibilia ab opinabilibus differentia,
„ ut ſint prima quoque intelligibilia, quemadmodum
& ſen-

„ & ſenſibilia (quorum eſt opinari) prima. Ex quo „ ideas eſſe concluditur (*t*).

LAUS DEO,

Qui dedit nobis vires, & vitam ad hæc intelligenda, & pro modulo noſtro explicanda, a quo ſperamus veram æternamque adhuc habere vitam.

Qui *omnium eſt* (Apocalyp. 1.) *Alpha & Omega*, *i. e. Principium &*

FINIS.

(t) *Audi Auguſtinum ſic perbelle rem hanc explicantem exemplo Arcæ „ quæ in arte eſt, in opere „ non eſt vita: Sic enim Tract.* 1. *in Joan. ſuper illo: „ Quod factum eſt, in ipſo vita erat, quid eſt hoc, inquit, vita erat? facta eſt terra, ſed ipſa terra, „ quæ facta eſt, non eſt vita. Eſt autem in ipſa ſa- „ pientia*

Digitized by Google

„ *pientia ſpiritaliter ratio quædam, qua terra facta*
„ *eſt: hæc vita eſt . . . . . Faber facit arcam. Pri-*
„ *mo in arte habet arcam, ſi enim in arte arcam non*
„ *haberet, non eſſet, unde fabricando illam proferret.*
„ *. . . Attendite ergo arcam in arte, & arcam in*
„ *opere. Arca in opere non eſt vita, arca in arte*
„ *vita eſt, quia vivit Anima artificis, ubi ſunt iſta*
„ *omnia, antequam proferantur. Sic ergo Fratres cha-*
„ *riſſimi, quia Sapientia Dei, per quam facta ſunt*
„ *omnia, ſecundum artem continet omnia, antequam*
„ *fabricaret omnia, hinc quæ fiunt per artem ipſam,*
„ *non continuo vita ſunt; ſed quidquid factum eſt,*
„ *vita in illo eſt. Terram vides, eſt in arte terra,*
„ *Cælum vides, eſt in arte Cælum. Solem, & Lu-*
„ *nam vides: ſunt iſta in arte: ſed foris corpora ſunt:*
„ *in arte vita ſunt.*



Digitized by Google

Digitized by Google

ANACEPHALÆOSIS

Propoſitionum magis diducta & adcuratior, Conſpectum totius Præluſionis exhibens: cum quibuſdam emendationibus, quas ſedulus & benevolus Lector, majoris commoditatis gratia, margini cujuſque loci citati manu apponere poterit ſua.

Excurſibus X. ad V. Cap. contractis, & Poſitionibus XXXIII. ad CCXLVIIII. exporrectis.

CAPUT I.

In quo tribus Excurſibus Principia ſtatuuntur, ad ſubſtantiarum, ſeu Virium Naturam & differentiam inveſtigandam.

Excurſibus nempe I. II. & III.

1. D*Efinitur*: Quid ſit Nihil, quid Aliquid. §. 1. & 2.
2. *Rurſus*: Quod nihil repræſentat, vel agit nihil eſt. §. 3.
3. Aliquid autem eſt, quod aliquid repræſentat, vel agit. §. 4.
4. Subſtantia omnis ſemetipſam repræſentat atque adeo aliquid agit. §. 5.
5. Actio autem modificatio ſtatus ſubjecti eſt, cujus modificationis ratio in ipſo eſt ſubjecto: §. 6.
6. Ratio iſthæc ſufficiens, ac veluti ſubſtratum actionis *Vis* dicitur. §. eod.
7. Subſtantia ergo omnis eſt ſuimetipſius repræſentativa, & modificativa. ibi.
8. Omnis ſubſtantia pariter ſimplex eſt. §. 7.
9. Et dum realis eſt, ſive actu diſtincte exiſtit, continue agit, modificat ſeſe & repræſentat. §. 8.
10. Omnis igitur realis ſubſtantia, ſimplex eſt, ſuimetipſius repræſentativa, & modificativa in exiſtendo; ſeu dum exiſtit, continue conatur ſeipſam repræſentare, & modificare, ſaltim eminenter. §. 9.
11. *Definitur* quid compoſitum ſive compoſita ſubſtantia dicatur §. 10.
12. Quando dicatur Materiale. §. 11.
13. Quando Phyſicum. ibi.
14. Quando Metaphyſicum. §. 12.
15. Quid ſit ſimplex dependens. ibi.
16. Vis ſimplex ſubſtantia eſt ſimplex. §. 13.
17. Limitata, ab alio dependens, Elementum Mundi eſt. §. 14.
18. Materiale, ſi ea vis repræſentativa & modificativa ſui tantum eſt. §. 15.
19. Spiritale, ſi inſuper ſuimetipſius intuitiva. §. 16.
20. *Inferes ex his*: Quod Quodlibet in Mundo coordinatum exiſtens, Elementum perceptivum, ſeu ſenſitivum eſt. §. 17.

Adnotatione (a).
Ad dicta confirmanda.

§. *Hinc Oſtrea* : experientia oſtenditur; Quod in quibuſdam compoſitis corporibus etiam perceptio deprehenditur, & quidam ſenſus.

§. *D. Thomas* : ejus auctoritate docetur: Quod, quodcumque eſt actu reale, ſeu in ſuo eſſe perfectum & exiſtens, principium eſt, ſeu vis activa.

21. Vis porro Intuitiva ſui ſpiritus eſt. §.18.

22. A ſe exiſtens illimitata, ſeu abſoluta *DEUS* eſt. §. 19.

23. Ab alio exiſtens, & a coordinatis aliis limitata, ſpiritus eſt creatus. §.20.

24. *Ad ſupradicta etiam demonſtranda*, Poſtulatur : ut admittatur exiſtere Animam noſtram: itemque adſpectabile Mundum. §. 21.

Demonſtratur : ex eorum actione vel paſſione obſervabili. ibi.

25. Non enim ex ſenſibus rerum exiſtentia immediate percipitur. ibi.

26. *Ad ſupradicta etiam inveſtiganda*, *definitur* : Anima quando rationalis, ſeu organico corpori humano unita, dicatur. §. 22.

27. Quid Activa vis dicatur vel Motrix. §. 23.

28. Quid Inertia. §. 24.

29. Quid Materia, Impenetrabile, aut Extenſum. §. 25.

Erratum ibi. lin. 4.
nuiformiter corrige *uniformiter*.

30. Quid Corpus, ſeu compoſitum in genere ſit. §. 26.

31. Quid corpus phyſicum, ſeu vere exiſtens. §. 27.

32. Hoc enim vel elementare; vel mixtum, vel organicum, vel organico-mixtum eſt: ibi.

33. Et vel Vegetabile, vel Animale: §. 28.

34. Vel Grave, vel Electricum, vel Elaſticum. §. 29.

35. Quid corpus dicatur vivum vegetabile. §. 30.

36. Quid ſenſitivum vel Animale. §.31.

37. Quid dicatur imaginabile Spatium. §. 32.

38. Quid Locus. §. 33.

39. Quid Tempus. §. 34.

40. Quid Præſens, Præteritum, au Futurum. §. 35

CAPUT II.

In quo quatuor Excurſibus alia principia ſtatuuntur, ad poſſibilem demonſtrandam notionem commercii. Animæ cum corpore. Atque vera Origo & Geneſis rerum intelligibili modo explicatur.
Excurſibus nempe IV. V. VI. VII.

41. ANima, ſi qua eſſet in ſe ſpectata, ſemetipſam ſibi confuſe tantummodo repræſentaret. §. 36.

42. Quia vero exiſtit, omnimode determinata ac limitata eſt ea ejus repræſentabilitas a coexiſtentibus ceteris, quibuſcum coordinatur. § eod.

43. Et viciſſim, horum repræſentabilitatem ipſa vario determinare modo, ac limitare valet. ibi.

Addenda ibi.
Lin. 15. *ab extra adveniunt*.
Lege: *ab extra* (*ſi qua ſunt*) *adveniunt*.
Lin. 4. *ſe invicem modificando*.
Lege: *ſe invicem repræſentando*, *modificando*.

44. *Ad ſupradictam eandem notionem poſſibilem demonſtrandam ſtatuitur* : Quod Prima Animæ notio, eidemque eſſentialis, ſui veritas eſt, atque Veritatis in genere. §. 37.

Erra-

Erratum ibi. lin. 5.
peremum ſui : corrige *perennem ſui*.
45. Unde per eſſentiam ſuam Verum eſt Anima reapſe per participationem Summi unius Veri exiſtens. § eod.
46. Altera eſſentialis Animæ notio unitatis ſuæ, atque Individui in genere eſt. §. 38.
47. Unde per eſſentiam ſuam Subjectum limitatum atque individuum eſt. §. eod.
48. Tertia, determinatæ realitatis, ſeu bonitatis & perfectionis ſuæ, & in genere eſt. §. 39.
49. Unde, per propriam Naturam ſuam, determinatum, ſeu limitatum bonum reale, in ſuo eſſe perfectum, Anima eſt. §. eod.
50. Ex mutuis deinde ſui & ceterorum extra ſe ſtatus mutationibus; & ſui, & ceterorum ejuſmodi diſtinctam realitatem ſive exiſtentiam intelligit: Et realis Spatii, Temporiſque notiones habet. §. 40.
51. Quatenus ergo a ceteris coordinatis coexiſtentibus, & ſucceſſivis eſſentia ejus limitatur, ejuſmodi habet ideas. §. 41.
52. Quæ ſic jam limitata exiſtens Natura eſt ejus: qua cum ſe, tum cetera realia & individua extra ſe diſtincte cognoſcit: ibi.
53. Ac primo porro, ac magis immediate corpus ſuum cognoſcit Anima. §. 42.
Errata ibi. pag. 19. *lin.* 2.
(§. 21.) non minus:
corrige (§. 21.) limitat non minus
ibi. lin. 3.
Non minus ac ipſum:
corrige non minus ac ipſa:
54. Quocum mutuum habet commercium. §. 43.
55. Organis quibuſdam ſenſoreis, veluti inſtrumentis, mediantibus. §. 44.
56. Quorum ſolis actionibus nulla eſſet in anima diſtincta veri, ac boni cognitio. §. eod.
57. Quæ tunc demum ei advenit, eum ſpiritales facultates ſuas attendendi, & reflectendi applicat. §. 45.
58. Quæ duæ ſunt ejus vis repræſentativæ determinationes: intentio nempe & intenſio, duabus motus directionis, & celeritatis determinationibus correſpondentes. §. eod.
59. Naturalis ergo ſive eſſentialis, atque ingenita eſt animæ idea intuitiva ſui, Mundique intelligibilis confuſa: diſtincta autem earumdem rerum ſingularium, ope ſenſuum. §. 46.
60. Non enim ex ſenſibus immaterialium rerum ideas habere poteſt. §. eod.
61. Neque earumdem Phænomenorum ſcientiam. ibi.
62. Per eſſentiam ergo ſuam ſcientiam habet veritatis, atque intelligibilis rerum bonitatis. §. eod.
63. Præciſa enim a corpore, & Mundo hoc adſpectabili ſuam habet anima eſſentiam §. eod.
64. Ex connexione autem, qua naturaliter determinata cum ipſis exiſtit, horum extra ſe modificationes varias in ſe intuetur. ibi.
65. Sic enim a quiete, vel immutabilitate ſua, ei eſſentiali, veluti excitata, earum rerum ſingularium ideas habet. §. eod.
66. Si quidem pro earum veritate ac bonitate, quæ ejus intereſt, ſpiritales ſuas liberas facultates attendendi, & reflectendi applicat. §. eod.
67. Iis enim non adhibitis corpus ſuum & Mundum, nonniſi confuſe cognoſcit. ibid.
68. Iis vero tantummodo adhibitis, & eorum

eorum ſingulari veritati aſſentitur, & determinatam bonitatem ſibi appetit. §. eod.

69. Jam vero in iis functionibus a corpore Anima, & ab Anima corpus tantum dependet, quæ hominis ſpeciem ſeu naturam interſunt. §. 47.

70. Sic autem ceteroquin ſe habent Mundus, & corpus animæ, ut quaſdam in ea, etiam invita excitare valeant ideas, vel alias exercere poſſint functiones, quæ propriæ ſunt eorum ſtructuræ vel eſſentiæ. §. eod.

Addenda ibi. lin. 7.

quatenus tale eſt corpus, agat.
Corrige quatenus tale eſt corpus, vi propriæ ſtructuræ, agere poſſit (§. &c.)
ibi lin. immediate ſubjecta.
(§. præced.):
Corrige (§. præced.), ut agat:

71. Actuque exercent, dum naturaliter exiſtunt ipſi animæ immediate, & mediate unita. §. eod.

72. Quinimo nec Anima in functionibus materialis, ſeu pure mechanicæ eſſentiæ corporis propriis, jus ullum habet: ſed in iis tantum, quæ eſſentiæ naturæque ſuæ, unionis nempe eum eo, perfectionem interſunt. §. eod.

73. Ex univerſali naturæ lege, qua ſpecifica eſſentia, cum Animæ, tum ipſius cum corpore unionis, ſubſiſtit. ibi.

74. Eſt autem hæc lex univerſalis ab Auctore naturæ ſancita: ut res unaquælibet ad eſſentiam, & perfectionem ſuam conſervandam, & augendam vim habeat ac tendat. §. 48.

75. Et quidem ab Auctore ipſo ejus, naturæque univerſæ, ei inditam: ſed per eſſentiam ipſam ſuam, ceterorumque cum ea coordinatorum determinandam. §. eod.

76. Et hæc ſola vera eſt cohæſionis in mundo, & gravitatis univerſalis, cauſa. ibi.

77. Nec non & Animæ cum ſuo corpore, ceteriſque in mundo ſingularibus veris ac bonis, realiter exiſtentibus, Commercii. ibi.

78. Eſſentiæ itaque rerum nullæ dantur, niſi in Deo, in quo ſunt vita: Naturæ vero, ſeu finitæ perfectiones earum, ex finibus earumdem ſunt determinatæ & reales extra Deum exiſtentes. §. 49.

79. Duo enim ſunt ſubſtantiarum ſive eſſentiarum genera, ſpirituum nempe, & ſimplicium elementorum corporum.

Adnotatione (b.)

Egregia habes ex Plotino de eſſentia ſimplicis ſubſtantiæ, quæ ſola vere ens judicatur, ſive Prima ea fuerit a ſe exiſtens, ſive ab ea omnis derivata, vel corporis humani vel Mundi anima aut vis, vel eorum eſſentialis & ultima ſubſtantia.

80. Eſſentia Spiritus conſiſtit in vi repræſentativa ſui ſibi. §. eod.

81. Eſſentialia ejus nemo comprehendet, niſi qui eum produxit. ibi.

82. In ſe enim omnis ſubſtantia finita, ſive finitudo ejus, nihil eſt. ibi.

83. Sed tota realitas ejus ſeu totum ejus eſſe in vita conſiſtit, ſeu determinata actuoſitate, qua a Deo donatur, quæ propria ejus eſt natura. ibi.

84. Atque hinc Homo in Sacris Scripturis dicitur vivere, de omni verbo, quod de ore Dei procedit. §. eod.

85. Corporis vero eſſentia in modo con-

conſiſtit, quo partes datæ ſimul uniuntur, ſeu in uno cohærent: §.51.
86. Ut corpus inde oriatur vel iners, vel mixtum, vel organicum: §.eod.
87. Quorum eſſentiam Mens, etiam limitata, diſtincte percipere valet & ſymbolicis verbis aut ſignis explicare. ibi.
88. Minime autem prima ſimplicia elementa, eam eſſentiam componentia. ibi.
89. Quæ nuſquam ſic ſimplicia ſive ſolitaria extra Deum realiter exiſtunt. ibi.
90. A poſteriori autem compoſitorum omnium ſeu corporum Natura pateſcere poteſt limitati etiam Menti. ibi.
91. Principium enim omnium Unicum eſt Verum & ſummum Bonum: - §. 52.
92. In quo rerum omnium formæ intelligibiles ſunt, ad quarum ſimilitudinem, realia facta ſunt omnia diſtincta, §. eod.
93. Quæ eorum ſunt eſſentia, ſeu ſimplex ſubſtantia finita, §.eod.
94. Per id a Deo individuata ſeu naturata proprium, ad quod, ex ejus voluntate, tendere debet unaquæque res. ibi.
95. Deus etenim Pater ſeipſum comprehenſive intuens, Verbum vitæ ſuæ infinitum æque ac ipſe ab æterno generat diſtinctam Perſonam. §.eod.
96. Unde mutuo amore ipſæ eæ duæ perſonæ Tertiam æque infinitam perſonam ſpirant. ibi.
97. Et in infinitudine omnium ſuorum bonorum, ſeu perfectionum ſuarum, intelligit, quæ ex earum ideis determinari queunt ac limitari, ut, actu a ſe diſtincto, exiſtant limitata bona; §.eod.
98. Infinitaque Sapientia ſua, pro ratione virium, finiumque eorum determinatorum, ſibi invicem, & ad ſe ordinando & ſubordinando, ibi.
99. Intellectus ſui Verbo, voluntatiſque ſuæ imperio, intentione & amore procreat. ibi.
100. Ac primo quidem intentum, opus omnium maximum hypoſtaticam totius Naturæ ſuæ in una perſona Unigeniti filii ſui unionem cum univerſa natura a ſe diſtincta cum Spiritali, tum corporea in homine. §.eod.
101. Quæ tandem in plenitudine temporis jam fit. ibi.
102. In principio autem ſucceſſionis rerum, ut ordo unius Dei decreti poſtulabat, ſimplicia omnium rerum elementa creavit, & Spiritu ſuo fecundavit. §.eod.
103. Nempe ſex dierum ſpatio, pro exigentia modificationum limitatarum virium eorum, pluribus in uno ſimul compactis, ac ſenſibilibus factis, ſpecies determinavit ac individua rerum. §.eod.
104. Quarum coexiſtentium, & ſucceſſivarum congeries ipſe eſt, qui jam exiſtit Mundus. ibi.
105. Et ſingula eorum elementorum, ſeu virium ſimplicium in uno agentium aggregata, pro diverſitate actuum, in quos erumpere poſſunt, diſtincta natura donantur. § 53.
106. Ut omnium ſint corporum ſpecies compoſſibiles diverſæ, ac præſertim ſenſitivum humanum. ibi.
107. Cui eodem illo uno verbo ac nutu, phyſico, aut potius metaphyſico nexu Anima copulata eſt humana. § eod.
108. Quæ cum ad imaginem & ſimilitu-

ſitudinem Dei ſit facta, non ſecus ac ipſe, vis intuitiva ſuimet ipſius eſt, ac a Deo procedens, omnimode tamen a corpore ſuo ceteriſque coordinatis limitata.

Adnotatione (c).

§. *D.Thomas* : ex ejus doctrina docetur, quod Ideæ rerum in Mente Divina ſunt Divina ipſa eſſentia, ſecundum quod eſt ad extra limitate participabilis aut repræſentabilis a creaturis.

Ipſæ vero creaturæ plures ſunt diſtincti ac limitati modi, quibus ea infinita eſſentia participabilis ac repræſentabilis eſt; realiterque participatur ac repræſentatur ab ipſis exiſtentibus & ſucceſſivis, licet pluribus, nec vere ſimplicibus, nec neceſſariis. ibi.

Uno tamen indiviſibili, æterno, neceſſario, ſimpliciſſimo intuitu, nutuque : Quo ab æterno res creatas in ſemetipſo nedum ut poſſibiles intuetur, ſed libere volens etiam producit. §.eod.

Quod idem A. D. exemplo demonſtrat puncti alicujus eminus, aut extra peripheriam circuli poſiti, æternitatem repræſentantis, & ejuſdem Circuli, omnium rerum tum coexiſtentium tum ſucceſſivarum compoſſibilium ſeriem exhibentis. ibi.

§. *Hæc, inquam* ; *Applicatur propoſito ea ſimilitudo*.

In circulo enim, quo plures radii a centro ducuntur ad circumferentiam, eo magis numerus punctorum, ac diviſionum in circumferentia ipſa augetur.

Puncto tamen in centro adhuc indiviſibili manente, reſpectuum ejus numerus ad dicta puncta ea proportione creſcit, qua numerus dictorum punctorum in circumferentia augetur, & contra.

Radiorum vero in centro concurſu nulla, in circumferentia autem multiplex fit diviſio in infinitum creſcens.

Ita vere Deus unus in ſeipſo ab æterno manens eminus a tota compoſſibilium ſimul vel ſucceſſive exiſtentium circumferentia, veluti in centro earum rerum, cuncta a ſe diſtincta intuetur, etiam materialia, ac facit. §*Jam vero*.

Unum verum atque ſummum ſuum bonum eis libere participans;

Et reale infinitum Spatium ſic conſtituit,

Et reale Tempus,

Et ipſam totam Naturam, & peculiarem cujuſcumque rei : quæ, quo magis propria ſua vi & actuoſitate ad ipſum ſuum centrum accedunt, eo ſimpliciores, ſublimiores, & a materialitate ſeu limitationibus puriores ſunt : & contra quo magis a ſuo centro & principio recedunt, & ad imum deſcendunt, eo magis limitatæ fiunt, & materiales, & defectibiles, ſive corruptioni ſubjectæ.

§. *Reliqua* : rurſus confirmantur dicta exemplo lucis, quod S. Augunus adducit : quia quamvis ipſa uniuſmodi ſit, pro diverſis tamen corporum qualitatibus, diverſo ea nitore aſpergit; lutum indurat, ceramque liquefacit.

109. Atque hinc inferes, quid genetice ſit individua & ſola naturaliter exiſtens ſubſtantia. §.54.
110. Quid Natura ejus. ibi.
111. Quid eſſentia vel ſpecies rei. §.eod.
112. Quid Anima in ſe inſpecta, & naru-

naturata, i. e. humano ſuo corpori immediate, & cum ceteris coordinatis mediate unita. §.55.

Adnotatione (d.)

Præclara de humana Anima Platonis dicta recenſentur.

113. Eſt vero Lex ſupradicta naturæ univerſalis ab ejus auctore ſancita, abſolutum ſapientiæ & voluntatis ſuæ decretum creationis & conſervationis rerum. §.56.

114. Quod exequitur ipſe idem Deus, pro ſimplicibus, ipſo eo eodem actu, quo ea creavit, & conſervat. §.eod.

115. Pro compoſitis autem providentia Dei dicitur. ibi.

116. Ortus ſimplicium elementorum, & eorum natura genetice definitur. §.eod.

117. Cohæſionis pariter eorum, & materialium atomorum geneſis explicatur. ibi.

118. Corporum mixtorum, ſolidorum & fluidorum. ibi.

119. Nec non & organicorum vegetabilium, & ſenſitivorum. ibi.

120. Ac demum primi hominis animalis, cui libere & contingenter Anima a Deo fuit adnexa. ibi.

121. Diſcrimen Animæ a Deo in quo conſiſtat. §57.

CAPUT III.

Quo exponitur origo idearum, & volitionum Animæ; nec non & Animæ humanæ cum ſuo corpore immediate & cum toto univerſo mediate realis unio.

Excurſu nempe VIII.

122. ÆTernas, atque immutabiles rerum, ſeu eſſentiarum intelligibiles ideas, nec non veritatis bonitatis & unitatis confuſas Animæ naturaliter inditas eſſe, a priori demonſtratur. §.58.

123. Diſtinctas autem ſui, & ceterorum contingentium coexiſtentium vel ſucceſſivorum, atque adeo ſingularium, adventitias & mutabiles ideas; non niſi ex ordine, quo naturata exiſtit cum iis & ſuo corpore unita, habere;

Quatenus ab eorum actionibus excitata, bona ea ſibi aut mala eſſe attentione, & reflexione deprehendit: ex ejus etiam eſſentia & natura oſtenditur. ibi.

124. Sic enim indeterminatam, quam per eſſentiam habet ad bonum inclinationem, & a malo reclinationem, ad illud proſequendum, hoc averſandum, quod eſt reale tale, atque adeo nonniſi individuum, libere determinat: ibi.

125. Et reale ſeu determinatum bonum poſſibile præviſum proſequi intendens aut & cet. motum in ſuo corpore proportionatum, pro ea, quam habet cum ipſo unione, & in ipſum dominio, quodammodo creat: & ideas ſuas per corporalia verba in aliorum extra ſe mentibus producit. §.eod.

Adnotatione (e).

Confirmantur dicta, quia D. Thoma docente, Spirituum eſt determinatas ſuas notiones, & volitiones, ſola intentione ſua ad alios directa, manifeſtare, & motum etiam in determinatis coporibus producere.

§. Nimirum.

Nec hoc mirum eſt, quia: Cum determinatio idearum Animæ actualis quoddam ſit contingens, non ſecus ac determinatæ ejus notiones & volitiones, ſui rationem cur in

ea

ea ſint ſufficientem, in eo agnoſcit, quod eſt extra animam, quocum ipſa connectitur, & commercium habet, in corpore nempe ſuo immediate, & in toto Mundo mediate. §.Viciſſim.

Unde & idearum animæ actu determinatarum, ſeu vere in ea exſtentium origo formalis ab externo pendet principio. §.eod.

126. Animæ humanæ cum ſuo corpore Unio realis in quo conſiſtat; §.59.

127. Et quod ipſa ea ſit determinata eſſentia ſeu natura hominis accidentalis, ibi.

128. Et quod ab una Dei voluntate & concurſu dependeat: explicatur & ſuadetur. §.eod.

129. Homo igitur per eſſentiam, ſeu naturam ſuam, quæ extra ipſum ſunt realia cognoſcit. §.60.

130. Pro diverſo modo, quo ab ipſis modificatur, ea diſtincte percipit: §. eod.

131. Et quidem bona aut mala, realia, aut apparentia vera, aut falſa: quatenus ad illud actuandum faciunt aut contra, quod ad propriam perfectionem vel animæ, vel corporis, vel eorumdem unionis conducit. ibi.

132. Et ob eandem rationem, dum illud poſſibile judicat, appetit & vult, aut averſatur & non vult. §. eod.

133. Nodus difficultatis, quæ opponi ſolet, explicatur, & prorſus ſolvitur. §. eod.

Addenda ibi. linea penultima.

Quippe quæ per eſſentiam ſuam finita eſt, & illud eſt determinate *Corrige*: per eſſentiam ſuam, cum indefinita eſſet; per ipſam naturam ſeu exiſtentiam ſuam, qua cum ſuo corpore, & cum ceteris coexiſtentibus coordinatur, ut determinata, ſeu finita ſit & exiſtat, illud eſt determinate.

CAPUT IIII.

Quo declaratur, undenam libertas, & mutabilitas oriatur actuum humanorum: & contingentia ceterarum compoſitarum ſpecierum in individuo.

Excurſu nempe VIIII.

134. Actus omnes determinati ac limitati, etiam hominis, & Effectus, qui ex his reſultant, cum a cauſſa determinentur ſecunda compoſita accidentali; mutabiles per ſuam eſſentiam ſunt, & contingentes: phænomena ſunt virium ſimplicium. §. 61.

135. Unde ab ipſiſmet rebus creatis, & ab homine ipſo in individuo determinantur. ibi.

Addenda Ibi. lin. 2.

Qua talis, accidentalem determinantur. *Lege*: qua talis, accidentalem, ſive ab homine ipſo, determinantur.

136. Ac proinde ſui juris ſunt, non mere paſſive a divina voluntate ſunt determinati, ſed tantummodo directi & ordinati, ad hoc ut ſint. ibi.

137. Non ſine concurſu tamen generali Dei vel phyſico influxu, per vires corporis & aliorum cum eo ordinatorum in Mundo; §. eod.

Erratum ibi. lin. 5.

Mediate, vel immediate: *corrige* immediate, vel mediate.

138. Aut ſpeciali extra ipſum, immediato, ac ſupernaturali: ibi.

139. Demonſtratur ex eo, quod hi omnes

Digitized by Google

omnes actus nullam ex abſoluta voluntate, ſeu univerſali naturæ lege Dei ſpecificam habent determinatam eſſentiam, ſive determinatam naturam. §. eod.

140. Quales ſunt tantummodo omnium ſimplicium virium inclinationes & tendentiæ ad ſeipſas quales ſunt, repræſentandas. §. 62.

Erratum ibi. lin. 3.

In homine eſt niſus, *lege*

In hominis Anima eſt niſus.

141. Poteſt ergo actus omnis, & effectus individuus hominis & rei cujuſcumque in Mundo adſpectabili exiſtentis, verus eſſe aut falſus, bonus, aut malus, mutabilis corruptibilis ac morti ſubjectus §. 63.

142. Atque adeo Vita hominis imperfectior eſt cenſenda vitâ ſolius Animæ in ſe ſpectatæ; illa autem, corporis, in ſe ſpectati, vitâ. §. 64.

143. Utraque enim hæc accidentalis, mutabilis, & corruptibilis eſt. ibi.

144. Vita hominis quænam dicatur? §. eod.

145. Quæ ſolius corporis humani ſenſitivi? ibi.

146. Animæ vero, quæ tota ſpiritalis eſt, ac intellectiva, iis longe præſtantior, in ſe immutabilis eſt, perfecta, ingenerabilis, & incorruptibilis. ibi.

Adnotatione (f)

Ex D. Thomæ ſententia: quomodo materialium rerum ideæ, ſive ſimilitudines in ſenſu ſint, aut phantaſia oſtenditur.

147. Utraque autem illa auxionis, & diminutionis, generationis & corruptionis eſt capax. ibi.

148. Mors ergo hominis voluntaria, vita eſt Animæ; quare haud timenda. §. eod.

149. Perfectio itaque vitæ hominis legem agnoſcit aliam, ab ea, quæ eſt ſolius ejus Animæ, aut ſolius ejus corporis. §. 65.

150. Nam ab alio ea eſt determinanda ex voluntate Dei actuando, quam ea ſolius Animæ, aut ſolius corporis. ibi.

151. Unde ſpeciali ſubiicitur divinæ providentiæ, ut una ſimul cum Anima, tum corpus uniformiter agant ad tertium illud obtinendum, quod eſt ab homine actuandum. §. 66.

152. Vires idcirco utriuſque partis hominis ſupernaturaliter quoque augendo aut adjuvando ad ſingulos actus hominis, §. eod.

153. Naturali ipſi Animæ indito virtutis lumine, & tribus habitibus fidei, ſpei, & charitatis ſupernaturaliter infuſis. §. 67.

15[illegible]. Ut moralem cognoſcat virtutem, quæ tertium eſt illud ab utraque hominis parte actuandum, ſive exercendum, §. eod.

Erratum ibi. lin. 1.

Deus ſiquidem lege poſitiva *corrige*: Deus ſiquidem lege naturali poſitive.

155. Et ſupernaturale bonum, ipſi ejus ſupernaturali vitæ conforme, obtinendum, manifeſtando; §. eod.

156. Et facilitatem ac certitudinem ipſum obtinendi, inſpirando; §. eod.

157. Et amorem erga illud, animæ infundendo; §. eod.

158. Et corporis demum ſenſitivas quoque, ſive affectivas facultates ſic afficiendo, & quandoque etiam adigendo: ut Totus homo bonum etiam ſibi exercitium virtutis percipiat: & ideo tandem velit & efficiat. §. eod.

159. Anima itaque humana per domi-

minium, quod habet ſupra ſuum corpus & Mundum, quod per providentiam Dei exercere valet, ſimilis eſt Deo. §. 68.

160. Atque adeo vi unionis, quam babet cum ſuo corpore, immediate, & eo mediante cum Mundo univerſo, i. e. quatenus eſt homo, & per exercitium virtutum, quæ actus ſunt utriuſque ejus partis ſimul. ibi.

161. Etenim, cum Anima vi unionis ejuſmodi Domina fit, & moderatrix ſui corporis &c., cujus & ultimum eſt complementum; non ſecus ac Deus in alia extra ſe, ſeu a ſe diverſa & materialia agere valet, & per ſpecialem ſupradictam providentiam Dei actu agit. §. eod.

162. Et morales virtutes exercet, ut corpus ſuum a materialitatis imperfectionibus purificet, ipſumque ad ultimum ſuum finem, veramque bea-

163. titatem, (Cujus ceteroquin ipſum eſt incapax), ſecum ducat ac deferat. ibi.

164. Actus itaque hominis liberi ſunt tantum, qui circa bonum ſingulare, atque adeo limitatum, ab utraque ejus parte, efficiuntur. §. 69.

165. Cum enim ſunt ejuſmodi; ad eos volendum Anima per ſuam eſſentiam non eſt determinata: ſed eos ſponte ponit, quamdiu ipſi placet ibi.

166. Ad bonum vero corporis, quod vere, non apparenter tantum ſibi bonum eſt, determinare ſeipſam nequit Anima, niſi tale eidem per fidem repræſentetur, poſſibile per ſpem, & appetibile per charitatem. §. eod.

167. Inferes ex his facili negotio, quod Influxus phyſicus, ſive potius metaphyſicus, quo inter animam, corpuſque exercetur commercium, non eſt prorſus inintelligibilis, & inexplicabilis. §. 70.

168. Eſt enim duas inter ſubſtantias ſimplices, & per actionem exercetur ſimplicem.

Corporis enim eſſentia non eſt ſubſtantia: præcipuæ vero ejus proprietates, impenetrabilitas, extenſio, magnitudo, motus &c. phænomena ſunt tantum ſubſtantiarum ſimplicium §. eod.

169. Animæ itaque Vis, cum corporis vi ſuperior, ſive ſublimior ſit, eam corporis vincit vim, quæ interim, (cum purum non ſit nihil) ipſa ſua activitate & conatu, eam Animæ limitat, ac determinat. ibi.

170. Quemadmodum motus creatur in corporibus, quietis ejus perturbato æquilibrio, aliorum reſiſtentia facta minori verſus eam plagam, quam verſus moveri debet corpus: §. eod.

171. Ceterum vero ipſe motus, qui in compoſitis ex ſimplicium eorum viribus reſultat: in ipſis ſimplicibus, quæ in corporibus ſola ſunt realia, in repræſentationes, variaſque mutuas ſui modificationes, ſeu determinationes & limitationes reſolvitur. §. eod.

172. Quælibet enim ex his ſimplicibus Vis eſt, ſive conatus ſeipſum repræſentandi, & vel veri nominis, vel momentanea Mens. ibi.

173. Simili itaque modo Anima, quamvis ſimplex ac ſpiritalis, motum producit in corporibus; quo Deus ipſe, materialia, ac duo potiſſimum, quæ ipſi repugnant phænomena ſubſtantiata, extenſionem nempe & motum, extra ſe, ſimplicia tantummodo procreando, producit. §. eod.

Digitized by Google

174. Quæ enim inſenſibilia nobis videntur, D. Hieronymo docente ipſi Deo creatori ſuo ſenſibilia ſeſe præbent. ibi. in fine.

Adnotatione (g) §. 70.

Confirmantur ſupradicta de vi perceptiva, ac quaſi ſenſitiva ſingulorum Mundi elementorum: & de organorum ſenſuum, imaginem externorum objectorum, D. Th. docente, in ſe recipiendi facultate.

175. Omne enim Ens cognitionis eſt capax, quod per eſſentiam, & naturam ſuam, actionem variam ſive determinatam aliquam modificationem aut repræſentationem aliorum entium in ſe recipiendi eſt capax & idoneum. ibi.

176. Quo vero res D. Thoma docente, magis immaterialis eſt, h. e. ſimplicior, & limitibus abſoluta, eo magis cognitionis eſt capax: ut alia confuſe omnino, clare autem alia tantum, & alia etiam diſtincte percipiat, vel adæquate omnino etiam intueatur. ibi.

Sic Plantæ omnino confuſe, ſenſus clare tantum, Intellectus etiam diſtincte; & adæquate omnino ſeu comprehenſive ſolus Infinitus, alia extra ſe ſive a ſe diſtincta cognoſcit. ibi.

177. Materialitas rerum unde oriatur? §. *Equidem*

178. Immaterialis vero res magis cenſetur, quo magis activa eſt, & ad infinitatem & realitatem, activitatemque Dei accedit. ibi.

179. Unde minima activitas, nempe vis ſaltim ſui confuſe repræſentativa, quæ eſſe in creaturis poteſt, quæque in materia apparet reſiſtentia; in vegetativa plantarum vi eminentius præcontinetur. ibi.

Vegetativa autem Plantarum in animali. ibi.

Animalis vero in rationali ſeu intellectiva hominis. ibi.

Hæc autem adhuc ſimplicior; & purior, & amplior eſt in Angelis. ibi.

Ac in Deo prorſus abſoluta & illimitata ſeu omnino adæquata, & comprehenſiva eſt, ibi. in fine.

Adnotatione (h) *ibi. in fine*.

180. Philoſophi monentur, ut agnoſcant tandem, quod: plures actiones, & effectus per eſſentiam, naturamque ſuam, qua a Deo donantur, edere poſſunt creaturæ, quam quæ a nobis intelligi & explicari queant.

181. Mundum enim, & ea, quibus is componitur, quæ ſenſibus nobis confuſe repræſentantur, diſtincte Deus ac intelligibili modo intuetur. ibi.

182. In his ergo explicandis phænomenis, qui ad ideas, ſive ſapientiam, voluntatem, potentiamque Dei confugiunt, non male ad aras ſeſe recipiunt.

183. Quinimo nec ipſa Creatio, quæ actualitatem tantum, ſive determinatam, per propriam deſtinationem & activitatem obſervabilem, aut ſenſibilem exiſtentiam ſimplicibus intelligibilibus, & poſſibilibus tribuit, inintelligibilis, & inexplicabilis eſt. §. 71.

184. Tota enim earum rerum realitas ſive ſubſtantia, & vis vel vita & activitas poſſibilis & exiſtibilis, quæ jam in Deo eminenter ac virtualiter præcontinebatur, ſolo Dei juſſu & omnipotentia actualis, ſive actu exiſtens efficitur. §. eod.

185. Et actu quidem ſic in ſe determinato ac limitato potius tali, quam alio, ut per oppoſitionem, qua unaquæque res (utpote limitatum bonum)

num) id eſt, quod non alia; quælibet ex his in ſe ſit, & tum a Deo, bono infinito; tum a ceteris finitis rebus diſtincta ſit. § eod.

186. Et tamen omnes a Deo procedentes incomprehenſibili plane modo, Dei eſsentiam, neque multiplicant, neque dividunt.

Adnotationibus (i) & (k)
Eadem rerum origo & geneſis profundius evolvitur.

Addenda Adnotatione (i).

Pag. 72. *v.* 8. Et libera actione ſua habet, quas extra ſe.

Lege: & libera actione ſua, qua determinata plura vult & efficit bona, habet; cum extra ſe.

Ibi. v.14. earum activitatem determinatam exiſtentiam.

Lege: earum activitatem, & bonitatem, determinatam exiſtentiam.

Pag. 73. *v.* 5. agere valent (§.9.), Deum.

Lege: agere valent (§. 9.) actuque ſimul cum ceteris a Deo coordinatis agunt, Deum.

Ibi. v. 8. non involvunt; creaturæ.

Lege: non involvunt, actuque compoſſibilia omnia agat; creaturæ.

Ibi. v. 10. aut agit.

Lege: aut ſimul cum ceteris coordinatis agit.

Ibi. v. 12. & a Deo factæ, ſive.

Lege: & a Deo factæ, & coordinatæ, ſive.

CAPUT V.

In quo demonſtratur, quid vere & realiter eſſentia ſit, & natura rerum præſertim ſimplicium, & in quo nexus eorum conſiſtat.
Excurſu nempe X.

187. POrro patet jam ex his: ſuprema rerum genera, ſive primas eorum ſubſtantias, prorſus eſſe ſimplicia, quæ pro eo quod ſunt, diverſo modo vel infinito, vel finito ſeipſa repræſentare valent. §. 72.

188. Sic Anima humana per eſſentiam ſuam limitata imago Dei eſt, limitato nempe modo, Deum ipſum, ſecundum totam ejus eſſentiam, actumque repræſentans. § eod.

189. Quodlibet vero alius generis ſimplex cum ex infinita Dei magnitudine, & activitate, ſive abſoluta Vi & Vita determinetur, ut exiſtat: quodlibet, inquam, ſimplex vivum, activum, & indefinite magnum in ſe inſpectum eſt. §. eod.

190. Specifica autem, cum Animæ, tum ceterorum ſimplicium, a ſe invicem, & a Deo differentia, qua natura eorum, ſive realis exiſtentia determinatur, ab intellectu & voluntate Dei dependet, ut diverſa ea agere valeant. §. eod.

191. Omnimoda vero, & individualis determinatio eorum exiſtentiæ, ut actu determinate agant, a naturali ex nexu rerum coordinatarum, vel ſupernaturali Dei concurſu & Providentia repetenda eſt. ibi.

192. Eſt autem, ex oppoſita ratione, Dei Vis ſeu activitas, magnitudo & omnimoda determinatio (utpote a ſe exiſtens & infinita), nulla diffe-
ren-

Digitized by Google

rentia limitata, ſed abſoluta prorſus ac a ſe exiſtens, menſura eſt, & determinativa vis, & magnitudo magnitudinum, & virium finitarum omnium aliorum. ibi.

Adnotatione (l).

Ex D. Thoma docetur, quod Omnia in Deo ſunt vita, etiam ea, quæ in concreto, ſeu materiata, mortua videntur: ex quo infert, quod iſthæc verius ſint in Deo, quam in ſe ipſis. §. *D. Thomas*.

Quantum ſcilicet ad id quod ſunt in abſtracto ab omni gradu & limitatione, qua ſine in rerum natura eſſe nequeunt. §. *Hanc autem*.

Unde Plato vere ajebat, quod homo in ſua idea, ab omni concreto & individuali gradu ſeparatus, verus eſt homo: in individuo autem, ut revera exiſtit, & in ſe realis eſt, homo eſt tantum per participationem. *ibi. Propter quod Plato*.

Sed quia de ratione rerum a Deo diſtinctarum vere extra Deum, ut individua ſui juris ſubjecta, exiſtentium, eſt eſſe omnimode a ceteris concretis & coordinatis determinata ac limitata, & quodammodo materiata: Sic verius res ſunt in ſe ipſis, quam in mente divina. Sicut Domus nobilius eſſe habet in mente artificis, quam in materia, ſed verius dicitur Domus, quæ eſt in materia.

193. Indefinita itaque magnitudo ſive vis, actuoſitas aut eſſentia in abſtracto Animæ a magnitudine corporis, ſive eſſentia ejus quæ tali determinata in quo exiſtit, immediate determinatur, ſeu limitatur; mediate vero a magnitudine totius Mundi. §. 73.

194. Ea vero ſimplicium elementorum a fine, ſeu ſcopo ad quem ſunt nata, ſeu a Deo deſtinata & coordinata. ibi.

195. Non minus enim ea in corpore eſt magno, aut magis perfecto in ſuo eſſe, quam in parvo aut minus apto ad omnes functiones ſuas exercendas. §. eod.

196. Aliorum autem ſimplicium præcipuum eſt munus aut ſcopus, ut duo præcipua phænomena exhibeant materiata, extenſionem nempe & motum.

Adnotatione (m).

Perbelle hanc indefinitam Animæ magnitudinem explicat Plotinus.

Eſt enim ea partibilis ſimul, & impartibilis; tota in ſeipſa, & partibus omnibus, in quo eſt, ſeipſam communicat.

Magnitudine carens atque extenſione, ſui corporis & totius univerſi magnitudini adeſt; in ſe ipſa manens, pluribus in ſe diſtinctis locis exiſtit. §. *Quippe cum*.

Cum corpora extenſa, & partium eorum diviſibilia loca nequeant eam indiviſibiliter accipere.

§. *Manet enim*.

Unde efficitur, ut partitio, extenſio, localitas corporum, ſint, non animæ affectiones. §. *cod.*

Eſt enim ea, qua exiſtit conjuncta corpori, Platone docente, tertia quædam natura, quam Mundi Artifex ex eſſentia impartibili, & partibili corporis commiſcuit.

§ *Mundi Artifex*.

197 Utraque itaque cum Animæ tum aliorum ſimplicium magnitudo, & actuoſitas in ſe mutabilis eſt. §. 74.

198. Cum aliis enim poteſt ex Dei voluntate coordinari, ut aliter ea ſic modificata ſeu limitata, alias exerceat functiones & actiones.

§. *cod.*

Digitized by Google

Ut pluribus S. Scriptura momentis nos docet.

199. Et ipſa naturalis ratio noſtra, atque revelata fides evincunt, quod anima poſſit eſſe per Dei voluntatem in pluribus ſucceſſive ſtatibus, ac glorioſo præſertim, vel pœnæ ſenſus etiam a craſſiori præſenti ſuo ſejuncta corpore. §.eod.

200. Nec etiam ulla ratione repugnare videtur, quod poſſit una in animali vis activa ſimplex, aut plures ſimul, in uno agentes, motum excitare, ac ſenſum, vitamque continuare. §. eod.

201. Quippe hoc omne poteſt, quæcumque ex his viribus ſucceſſive, ex eo quod per actum determinatum Dei eſt, quod per actum ejuſmodi Deus ipſe immediate per ſe poteſt. ibi.

Nulla ergo nos cogit neceſſitas, ut ſpiritalem in Brutis, aut in bruto animali hominis corpore animam admittamus. §.eod.

202. Et ſi animalia bruta ſæpe ratione uti melius homine videantur ex finibus a ſe intentis; cum fines eos per ea intendat Deus, a quo inſtinctus eorum ejuſmodi derivatur. §.eod.

203. Ita quoque, cum rerum naturam, veluti ens intelligens imaginamur ſapientia maxima inſtructum; revera ipſa Dei Sapientia eſt, quam per rerum naturam nobis patefacere Deus conſtituit. ibi.

204. Verumtamen Anima numquam exiſtit ſine ordine ad corpus, quod tunc ſaltim proprium eſt ejus, ad tale animal vel hominem coſtituendum & repræſentandum, cui immediate vel mediate unitur: quæ eſt neceſſitas ejus exiſtentiæ hypothetica, & eſſentia talis animalis vel hominis: quæ cum in compoſito conſiſtat, mutationi ſubjecta eſt, ut augeri poſſit vel minui, ſeu fieri perfectior aut imperfectior queat. §.75.

205. Eam enim, cum primum creavit Deus eodem illo actu in faciem inſpiravit primi hominis. §.eod.

206. In ceteris vero hominibus, veluti occluſa corpore, primum mobilis tantum eſt, deinde ſenſitiva, ac tandem rationalis, prout eſſentia ſeu organica ſtructura ejus corporis mutabilis ad motum tantum vel ſenſum nunc obſcuriorem, nunc clariorem in ſe recipiendum aptum eſt. ibi.

Adnotatione (n).

Animus ſenſibus alligatus, in corpore ſepultus, ac veluti in ſpelunca conditus cur Plotino dicatur, refertur.

Adnotatione (o)

G. G. Leibnitii ſententia de Animæ præexiſtentia & tranformatione ex Cl. Hanſchio exponitur.

Nec non nuperrimi profundiſſimi Theologi, cum quo non alia agnoſcenda eſt humanæ animæ extra ſuum corpus præexiſtentia, quam, quæ eidem convenit ratione eſſentiæ ſuæ indefinitæ, nempe eminentialis in ipſo Deo, quam ut pie ipſe interpretor citatus Theol. Vincent.Falletti admittit, niſi in errorem incidere velimus ab Ariſtotele olim Platoni attributum: quaſi idola quædam idearum a Deo diſtincta, eidemque coæterna, veluti per aerem volitantia, ac vaga ille admiſerit. §.*Verum hac in re*

Quamobrem cit. Auctor ibi. prudens monet quod Animæ creatio, tunc demum nobis fit manifeſta, cum commercium cum proprio ſuo cor-

corpore exercet: h. e. cum, ut nos dicimus, naturata, ſubjectum ſit ſui juris, cum a Deo, tum a ceteris coordinatis diſtinctum, diſtincto actu ſeipſam, h. e. aliquid determinate ac diſtincte repræſentans & manifeſtans. §. *Del reſto.*

207. Nulli itaque affectioni aut mutationi ſubjecta eſt anima, quantum ad eſſentiam ſuam ſpectat. § eod.

208. Eſſentia enim cujuſque rei, Platone docente, incorporalis, ſecundum ſubſtantiam immaterialis intelligibilis inviſibilis & uniformis eſt. ibi.

209. Sed pro ratione, qua naturata exiſtit, nonniſi nempe cum ſuo corpore, & tali corpore unita, cujus ſemper & ultimum complementum eſt, & una ſimul cum eo compoſita agit actione: prout eſſentia, aut perfectio ejus corporis eſſentialiter diverſa eſt, aut accidentaliter mutatur ac patitur; & ipſa uniformiter patitur, & mutatur ejus actio & repræſentatio. ibi.

210. Ut pro idea intelligibili boni aut mali, veri aut falſi, quam in ſe per eſſentiam habet, ſeipſam diverſo modo exhibeat, ſeu modificet ac determinet; & ipſum corpus moveat ſuum ad bonum illud externum in individuo cognitum proſequendum, aut malum averſandum. ibi.

211. Ita ut dici non immerito poſſit ex actionibus externorum ei objectorum in ſuo corpore factis, aut repræſentatis, ipſam pro ratione perfectionis corporis ſui, atque adeo ſuæ, & totius hominis, pati, ac mutari: cum interim non patiatur nec mutetur, niſi corpus ejus per eſſentiam mutabile, & ipſa una totius hominis compoſita actio individua, & accidentalis. ibi. in fine Adnotatione (p.) confirmantur dicta eleganti Plotini ſententia.

212. Determinata ergo magnitudo, ſive actuoſitas Animæ accidentalis ipſi eſt, & vi unionis cum corpore ad hominem conſtituendum ei advenit. §. 76.

213. Scilicet individua & omnimodo determinata Animæ actio non eſt; niſi ſimul unita ſeu modificata cum ea ſui corporis, quæ mutabilis & accidentalis in ſe eſt: atque adeo & ipſa animæ actio ei accommodatur ſeu proportionata efficitur. § eod.

214. Cauſſa enim quæcumque ſemper conformis eſt, & proportionalis ſuo effectui §. eod.

215. Magnitudo ergo pariter Facultatum Animæ intelligendi appetendi &c. immediate determinatur, a magnitudine facultatum corporis ſentiendi exteriora, & mediate etiam ab ipſo Mundo, quocum etiam unita eſt, & accidentaliter connectitur Anima. §. 77.

216. Quales enim actiones animæ ſunt a facultatibus corporis individuæ ac determinatæ, tales etiam Facultates animæ determinate agentes, ſunt dicendæ, ut ea actu intelligat vel appetat exteriora ac ſingularia realiter exiſtentia, conformiter ad mutationes, ſeu modificationes, quæ corporis ſui facultatibus & ceterarum in mundo exiſtentium accidunt, quorum tantummodo eſſentia mutabilis eſt. § eod.

217. Patet itaque inde ratio cur omnis animæ naturalis modificatio, ſeu actualis mutatio ex lege ſenſationum depen-

Digitized by Google

dependeat, & per eſſentiam, & organicam ſtructuram ſenſuum, & ipſiusmet ſui corporis explicari queat. §. 78.

Ut non immerito, cum aliqua tamen limitatione, Anima dici queat Vis repræſentativa Univerſi limitata ut Cl. ponit Chriſt. Wolf.

218. Attamen huic legi non ita Anima ſubiicitur, ut libere Dominium ſui corporis, & ſenſationum aut affectionum ejus, exercere nequeat. §. 79.

219. Ex libera enim arbitrii ſui electione ſitum corporis ſui ad alia coexiſtentia obvertere poteſt objecta, a quibus poſtmodum aliter ac prius, ut ſibi potius placet, afficiatur. §. eod.

Adnotatione (q)

Ex hoc potiſſimum momento Animam immortalem eſſe, ac ſui corporis dominam, Deoque ſimilem refert ex Platone Alcinous, & S. Scriptura atteſtatur.

220. Unde abſolutum ſeu intelligibile bonum etiam, unum, ac verum, a ſenſibus elevata contemplari poteſt Anima, quærere, & appetere in quo ſummum ejus bonum, & felicitas conſiſtit. ibi.

221. Ut dum conſequitur vere ceteris mortalibus aſſerere poſſit: Valete vos, ego vero immortalis jam Deus profectus ad divinum Divinæ ſimilitudini totus incumbo. *Amen*.

EPILOGUS.

222. PRæter Animam, & cetera Simplicia entia nihil eſt aliud vere ſubſtantiale eſſentiam habens neceſſariam. §. 80.

223. Cetera enim, ne homine quidem excepto, compoſita per ſuam ſuni eſſentiam. §. eod.

224. Atque adeo contingentia & fluxa, nec aliquid ex ſe ſunt ſubſtantiale. ibi.

225. Nec certa ac immutabilis de illis, aut eorum actionibus eſſe poteſt ſcientia. ibi.

226. Quæ non eſt niſi de iis, quæ ſemper eodem modo ſe habent, ac intelligibilia ſunt tantummodo. ibi.

227. Quod dumtaxat eſt unum ſummum verum & bonum abſolute ſimplex, rerum omnium principium omni poſſibili a ſe exiſtens modo. ibi.

228. Ad cujus intelligibilem Formam, omnia, quæ extra ipſum ſunt, facta intelliguntur. ibi.

229. Quæ ideo Imaginem ejus, aut ſimilitudinem in ſe deferunt. ibi.

230. Ac totius quidem eſſentiæ, naturæve ſola humana Anima. § eod.

231. Cetera vero per alicujus attributi ejus participationem: Ut patet ex ideis rerum, aut qualitatum earum, a ſenſibilibus, aut ab omni materialitate & limitatione earum abſtractis. § eod.

Adnotatione (r)

Ex S. Auguſtino exponitur, quid ideæ ſint *in divina Intelligentia* contentæ.

232. Cujus unius veri ac boni, utut abſolute ſimplicis ac intellectivi, imaginem, aut ſimilitudinem veluti materiatam res naturales repræſentant. § 81.

233. Ac primo quidem (ut earum ſimplicia elementa activa, nullis aliis qualitatibus inter ſe diſtincta, confuſe a nobis percipiuntur), continuam infinitam, ac uniformiter extenſam univerſi magnitudinem

nobis

nobis exhibent, materiam, extenſionem in genere, atque imaginabile Spatium repræſentant. ibi.
234. Ut vero ab eodem Auctore ſpecierum & naturæ, pro diverſis eorum proprietatibus, ſunt ſimul coordinata tot & talia potius, quam alia, & coexiſtentia quidem, aut in continua ſerie ſuccedentia, determinatum jam hunc Mundum conſtituunt, & res, quæ in eo diverſæ ſunt ſpeciei permanentes, aut ſucceſſivas, ſimplicia illa nobis repræſentant, ac reale ſpatium & tempus: quorum ipſe Mundus eſt complexus. §.eod.
235. Horum autem omnium, non alia vera eſt ſubſtantia, aut vis, niſi infinitæ ejus, per quamdam ſimilitudinem, participatio. §.eod.
236. Quam per naturam ſuam, ſeu per totidem propria ſubjecta ſua diſtincta, omni & meliori compoſſibili modo, quo poteſt limitato, repræſentant, ac manifeſtant. §. eod.
237. Gloriam ſcilicet ſummi Dei auctoris ſui: in quo ultimus eorum, &
238. totius Mundi, & ipſiuſmet Dei finis conſiſtit: & omnium perfectio eſt eſſentialis: ad quam & ac-
239 cidentalis cujuſque rei tendere debet. ibi.
240. Confirmantur dicta celebri Apoſtoli Rom. 1. teſtimonio.
Adnotatione (s)
Rurſus ex eodem S. Auguſtino, quid realis ſit idea, *extra Deum* exiſtens, declaratur.
241. Ea enim non in ſola intuitione intellectus Dei poſſibili, verum etiam ab ejus eſt voluntate actuata.
242. Dicta omnia; quid nempe ſint Ideæ rerum exemplares, quid Res ipſæ ſenſibiles, aut alio modo ſeſe repræſentantes, quid earum eſſentia, quid natura, quid actualis exiſtentia, in nucleo veluti colliguntur. §. III.
243. Quid finis efficiat? §. eod.
244. Confirmatur magis dicta, conſenſu veterum Philoſophorum, præſertim Platonicorum. ibi.
245. Præter enim materiam, principium *Exemplare* & *Paternum* agnovit Plato. ibi.
246. Quid Exemplar ſit rerum, quid forma. ibi.
247. Eſſentiarum ſeu naturæ rerum, minime autem contingenter exiſtentium ex Platone exemplaria exiſtunt. ibi.
248. Quod pluribus argumentis demonſtrat. ibi.
Adnotatione (t)
Oſtenditur, quod S. Auguſtino etiam docente.
249. Ideæ rerum *in Divina mente* contentæ, *Vita ſunt*, atque activæ vires: in *opere* vero, atque *extra eam mentem* in ſeipſis exiſtentes, vires nonnunquam ſunt veluti *mortuæ*, atque ab omni apparente activitate, a ceteris coexiſtentibus impeditæ. §. eod.

MAG 502

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google